

W. 2.

# DE PECCATO IN SPIRITUM S. IN HAC ET ALTERA VITA IRREMISSIBILI.

ACCEDIT

## PARAPHRASIS

CUM NOTIS SELECTIS

IN EPISTOLAM

D. PAULI AD HEBRÆOS.

*AUTHORE*

MARTINO GERBERTO,


*S. R. I. PRINC. & ABB. CONG. S. BLASII*

*O. S. B. IN SILVA NIGRA.*

---

Typis San - Blasianis. 1766.

*Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi a DEO vivo: ſed exhortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Hebr. III. 12. &c.



# PRÆFATIO.

Peccatorem non impune peccandi inceſſanter habenas laxare, atque divina gratiarum aſpernari auxilia, & reiicere, non theologica ſolum, verum etiam e communi ſenſu repetita ſuadet ratio. Conſequitur inde, eſſe modum & menſuram, quouſque DEUS ferat proiectam peccandi libidinem, & in malo obſtinationem animi, aut nimia de DEI miſericordia concepta

pta fiducia, aut eiusdem abiecta ſpe, neglectaque. Iſtinc ego peccati in Spiritum Sanctum naturam veniæ expertem derivandam exiſtimo, Iudæorum uſus exemplo, qui huius peccati rei in Evangelio aguntur a Chriſto: quod ipſum eorum crimen non ſingulari aliquo delicto, ſed omni illo blaſphemiæ ſpiritu circumſcripſi, quo innumera erga ſe Divini Numinis beneficia & dona reſpuerunt. Tota in hoc argumento verſatur D. PAULI ad Hebræos epiſtola, cuius analyſin diſquiſitioni noſtræ ſubnectimus; hic vero ad frontem ſententiam præfiximus, quæ & primo obtutu omnem opinionis meæ rationem ob oculos poneret, & locis quibusdam eiusdem epiſtolæ facem accenderet,

qui

qui multum interpretibus facessunt negotii; atque in causa fuerunt, ut serius, timidiusque communi Ecclesiarum assensu in canone divinarum scripturarum censeretur: dum e. g. habet, impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam bonum DEI verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Item voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinqui pro peccatis hostiam. Difficultas evanescet, si consideretur ad Iudæos hæc esse dicta, quæ gens iamiam mensuram patrum suorum impletura esset, postrema oblata gratia Evangelii, quod perspicuis signis & miraculis confirmatum tum prædicabatur. Hoc si ne-

gligerent, ſupereſſe nihil, quo ad pœnitentiam renoventur, nec aliam relinqui pro peccatis hoſtiam. Huc collimat ea epiſtola. Idcirco Iudæis, qui Chriſti fidem amplexi ſunt, excellentiam novi præ veteri Teſtamento deprædicat, ut qui diffidant, exemplo gentilium ſuorum, ſalutem ſuam operari veteris Teſtamenti inſtituto, iam gratia novi id effectum ire nihil ambigant. Oſtendit etiam cur, antiquato priore, novum ſit inſtitutum. *Nam*, inquit *, *ſi illud prius culpa vacaſſet: non utique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos, dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum novum; non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eo-*

* Hebr. VIII. 7. &c. *rum*

*rum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos.* Habes hic teſtimonium perfidiæ Iudæorum, eorumque deſertionis. Et certe pauci nomen Chriſto dederunt, quod ipſe PAULUS ad calcem innuit: *Etenim*, inquit*, *perpaucis ſcripſi vobis.* Iam gens illa prope interitum erat, impleta menſura patrum ſuorum. Huius rei prima adumbratio præceſſerat in egreſſu ex Ægypto ad promiſſam terram, conſummatio in Chriſti adventu, eos ad æternam vocantis requiem. Hinc S. PAULUS *Quibus*, inquit **, *iuravit, non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui incre-*



* Hebr. XIII. 22. ** c. III. 18.

*duli fuerunt. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Ne enim universi de sua desperarent salute, spem facit iis, qui incredulitatem abiecerunt, atque in Christum crediderunt, exemplo eorum, qui ex Ægypto sunt egressi, ex quibus etiam fuerunt, qui meruerint terram promissam, nec DEI offensam incurrerint. *Quidam,* inquit *, *audientes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto.* Ut maiores ad fidem tenendam addat stimulos, longa serie recenset **, quidquid per fidem boni aliquando nacti, operatique sint homines: superesse, ut in

*c. III. 16. &c. ** c. XI.

in Christum credentes præsenti, quæ per eum mundo illata est utantur gratia, & salutis spe. *Habentes itaque*, inquit *, *fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem ... non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quantum videritis appropinquantem diem.* Quibus si non utantur in Christi fide subsidiis, aut iterum ea abiiciant, post acceptam veritatis notitiam, iam non relinqui, addit, pro peccatis hostiam: sed portionem eos accepturos cum reliqua

* c. X. 19. &c.

gente perfida: ſcilicet hic deſertione, illic æterna damnatione: quod dona Spiritus Sancti reſpuerint, quæ a Chriſto in Sacramentis novi Teſtamenti recondita ſint. Ne vero de his ritibus Sacramentorum, quæ externa ſpecie aliquid cum antiquatis commune habent, minus digne iudicent, eoquod in externis cærimoniis conſiſtunt, ut fuerunt umbræ veteris Teſtamenti, & figuræ, huius rei ignorantiam tollit. *Etenim*, inquit *, *cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii ſermonum DEI: & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo... Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur, non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ*

* c. V. 12.

*tentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad DEUM, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum.* Ne enim Iudæos hos, qui iam fide Chriſti initiati erant, cogitatio inceſſeret, libere ſe gratiam Sacramentorum proiicere poſſe, atque repetere iterum, ut erat quotidianus lotionum, impoſitionis manuum &c. in veteri lege uſus, & conſuetudo, monet, hortaturque, præſenti uti gratia, ne & ipſi ex eorum numero ſint, qui menſuram patrum ſuorum compleverunt, & gratia exciderunt *. Multa accumulat verba ad divinorum donorum largitatem oſtendendam, quibus nihil proficientibus impoſſibile eſt renovari ad pœnitentiam: novis ſine fructu gratiæ muneribus imbui, quando ad ea animus

* c. VI. 4. &c.

clau-

clauditur, & obfirmatur. Pulchro hanc rem mox illuſtrat argumento ab imbre repetito, qui in terra fructus ferace germen proferat, ſecus non. *Terra enim*, ait *, *ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a DEO. Proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cuius conſummatio in combuſtionem.* Hic obſtinatam Iudaicam petit gentem. Cum autem ad eos loquatur, qui a fæce ſe Iudaica exemerunt, Chriſti ſuſcepta fide, adiungit: *Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine*

* c. VI. 7. &c.

*mine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis. Cupimus autem unumquemque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem &c.* Referta eſt epiſtola monitis, crebra ſimul terroris incuſſione; * *ne tantam negligant ſalutem: ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem Dei exiſtimetur aliquis deeſſe. Ne quis deſit gratiæ Dei. Ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum*, ut cætera nempe Iudaica gens. *Etenim*, inquit**, *& nobis annunciatum eſt, quemadmodum & illis, ſed non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei ex iis, quæ audierunt.* Tum paucis interpoſitis: *Quoniam*, inquit, *ſupereſt introire quoſdam in illam,*

* c. II. 3. IV. 1. 11. XII. 15. ** IV. 2.

*illam, & ii, quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem. Iterum terminat diem quendam* Hodie, *in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Nimirum: * *donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis fallacia peccati.* Quo oſtenditur, utendum tempore ac momentis pœnitentiæ, & gratiarum, *ne forte pereffluamus.* Optime metaphora παραῤῥυῶμεν ſic explicatur: dum ob peccatum in Spiritum S. gratia excidimus, dilabitur, effluitque nobis ſalus, nec amplius continemus gratiam. Quæ enim intereunt, alibi etiam in ſcripturis aquæ diffluenti comparantur. Eſt apud MATTHÆUM, MAR-

* c. III. 13.


MARCUM & LUCAM parœmia de vino novo miſſo in uteres veteres, unde rumpantur uteres, & vinum diffluat. Alibi in ſcripturis eadem phraſis recurrit: De peccatoribus DAVID *Ad nihilum*, inquit, *devenient*, *tanquam aqua decurrens*. Adiungit ceræ diffluentis exemplum : *Sicut cera*, *quæ fluit*, *auferentur*. Alibi mitiore metaphora dicit : *Tanquam aqua effuſus ſum*, *& diſperſa ſunt omnia oſſa mea*. Quam membrorum diſſolutorum rationem PAULUS hac ipſa in epiſtola adhibet : *Propter quod*, inquit*, *remiſſas manus*, *& ſoluta genua erigite*, *& greſſus rectos facite pedibus veſtris &c.* Ubi ei ſimilis eſt monitio, quam explicamus. Cuius ſenſus clariſſime ad men-

* c. XII. 12. 13.

mentem noſtram apud IRENÆUM *exponitur adv. hæreſ. *Ne forte poſt agnitionem Chriſti agentes aliquid, quod non placeat DEO, remiſſionem non habeamus ultra delictorum, ſed excludamur a regno eius.* Iam cum D. PAULO concludamus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus, auxilium tempore opportuno.* Hæc nobis præfanda ſunt viſa, ut lucem ſententiæ Paulinianæ, diſputationi noſtræ præfixæ, afferremus, in eam opinionem, quam deinceps ſtabiliemus de peccato in Spiritum S. quo ſe utinam ſola Iudaica contaminaſſet natio, nec in hoc ſeculo, nec in altero remittendo.

DISQUI-

* L. IV. c. 45.



# DISQUISITIO DE PECCATO IN SPIRITUM S.

*Ad* MATTH. XII. 31. *&c.*

## CAPUT I.

### *Variæ ſententiæ referuntur, & examinantur.*

I.

Ea conſtantia, & auctoritate primis ſtatim ſeculis contra Montaniſtas, & Novatianos remiſſionis peccatorum divinum donum ſibi relictum Eccleſia tuita eſt, & vindicavit, quæ illius adverſus portas inferi poten- tiam,

Quæritur, an ſit peccatum in Spiritum S. irremiſſibile ?

tiam, & firmitatem decuit. Nihil tamen, quod magis veritatis catholicæ propugnatoribus negotium faceſſeret, erat, illis ſcripturæ ſacræ teſtimoniis, quibus aperte certis peccatis remiſſio denegata videbatur. Cujusmodi tres ſententiæ ex tribus Evangeliſtis MATTHÆO, MARCO, & LUÇA de peccato, ſeu blaſphemia in Spiritum Sanctum proferri ſolebant, quæ nunquam, neque in hoc ſeculo, neque in futuro remitterentur. Quod peccatum in Scripturis blaſphemia in Spiritum, ſeu Spiritus, verbum contra Spiritum, apud Latinos Patres peccatum ſine venia, irremiſſibile, non remittendum &c. apud Græcos peccatum indelebile ἀναπόνιτος, ἀναπότριπτος, ἄψυκτος ἁμαρτία,
a b a CYRILL. *Alex.* a) A BASILIO b): ἀναπολόγητον ἁμάρτημα, indeprecabile peccatum, ἀσυγχώρητος ἡ ἐις τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον βλασφημία, blaſphemia in Spiritum S. expers venia a S. CHRYSOSTOMO: ἀσυγχώρητος ἁμαρτία vocatum. Igitur quæſtio pulſat, ſitne eiuscemodi aliquod peccatum irremiſſibile? Item quidnam blaſphe-

a) Ad V. 4. C. I. IES.
b) De Spir. S. Id ad Mon. LAPSUM.

phemiæ, peccatique in Spiritum S. apud tres Evangeliſtas nomine veniat?

II. Qua in re illud primo obſervandum, non de omni blaſphemia eſſe hic ſermonem. *Cum enim*, ut recte ait S. Athanasius a), *qui blaſphemat in ipſam Deitatem, impie agat*, quando ſpeciatim blaſphemia in Spiritum dicitur, non quæcunque intelligenda venit. *Admoneo*, inquit S. Augustinus b), *non dixiſſe Dominum omnis blaſphemia Spiritus non remittetur: neque dixiſſe, qui dixerit quodcunque verbum contra Spiritum S. non remittetur ei: ſed qui dixerit verbum.* Quod ſæpius inculcat S. Doctor. Tum unam aliquam talem exiſtere ſtatuit: *Neceſſe eſt plane*, ait, c) *ut ſit aliqua blaſphemia, & aliquod verbum, quod ſi dicatur contra Spiritum S. nullam unquam veniam, remiſſionemque mereatur; quia ſi omne acceperimus, quiſnam*

Non de omni blaſphemia hic ſermo, ſed de ſingulari aliqua.

a

b

c



a) Ep. IV. ad Serap. T. I. Nov. Ed. Paris. 1689. ὁ βλασφήμων ἐις ἀυτὴν ἀσεβεῖ τὴν θεότητα.
b) Serm. LXXI. de verb. Domini n. 9. T. V. Op. Ed. Par. 1683.
c) Ib. n. 10.

*poterit ſalvari? ſi autem rurſus nullum putaverimus, contradicimus Salvatori.* Aperte igitur S. AUGUSTINUS aliquod peccatum veniæ expers agnoſcit, cuiusmodi vero mox dicemus.

Non præciſe gravium aliquorum peccatorum circumſtantia peccatum in Spiritum S.

III. MORINUS cum (*lib. IX. de pœnit. c. 28.*) aliquod peccatum agnitum a Patribus ſcripſiſſet, cui nunquam a DEO, aut Eccleſia venia tribueretur in recognitione operis non de certa aliqua peccati ſpecie, ſed nonnullis gravium peccatorum circumſtantiis vult intelligi; qua de re quid ſentiendum, ſuus erit dicendi locus; ſolummodo ea, quæ mox ex S. AUGUSTINO adduximus, MORINO opponimus, communemque Eccleſiæ mentem certam quandam ſpeciem peccati in Spiritum S. conſtituentis. Veri tamen aliquid in hac MORINI ſententia deprehendere nobis videmur, quod in noſtræ opinionis explicatione diſcutiemus.

Non quodvis peccatum ex malitia, contemtu peccatum

IV. Ad hunc cenſum pertinent, qui generatim delinquere ex certa malitia, contemtu, aut obſtinatione, peccatum in Spiritum S. volunt eſſe, ea uſi ratione,

ne, quod desperatio, obstinatio, impœnitentia &c. ad omne genus peccati pertinere, atque sese effundere possit. Istos nec rem acu tangere, nec toto cœlo aberrare reor. Non enim quodvis malitiæ genus contra Spiritum S. cominus pugnat, sed illud tantum, quod eiusdem donis, & beneficiis opponitur: cum nempe peccatur in eo, quod a peccando retrahere hominum studia aptum natura sua esset, illudque contemnitur. Quod dum fit, impedimentum remissioni peccatorum directe obiicitur, quæ Spiritus S. beneficium est. Sic e. c. qui spem veniæ abiicit, atque desperatione vitiorum libidini habenas laxat, aut de remissione peccatorum suorum consequenda desperat, Spiritus S. dono directe repugnat, obicemque ponit. Item, qui vitam æternam contemnit, quam summopere cupere debemus, pœnæ æternæ timorem excutit, libere sese peccatis committit, in Spiritum S. peccat; siquidem harum rerum fidem penitus non abiiciat, tum enim ad peccatum infidelitatis pertineret metus & spei abiectio. Ubi advertendum, non

in Spiritum S. est.

peccata, ad quæ incentivum contemtus ille fuerat, peccatum in Spiritum S. denominari, ſed ipſum contemtum, atque abiectionem eorum ſubſidiorum, quibus aut ad pœnitentiam, remiſſionemque criminum pertingimus, aut a peccando retrahimur, atque in divina gratia conſolidamur. Nobis hæc aliquando lucis aliquid fœnerabuntur.

Peccata omnia chriſtianorum non ſunt in Spiritum S. crimen.

V. Inter eos, qui nimis ample peccatum in Spiritum Sanctum protenderunt, quorundam ſententiam profert S. AUGUSTINUS a), neque tamen auctores nominat: *Nonnullis*, inquit, *videtur eos tantummodo peccare in Spiritum S. qui lavacro regenerationis abluti in Eccleſia, & accepto Spiritu S. velut tanto poſtea dono Salvatoris ingrati mortifero aliquo peccato ſe immerſerint*: *qualia ſunt vel adulteria, vel homicidia, vel ipſa diſceſſio ſive omni modo a nomine chriſtiano, ſive a catholica Eccleſia.* An hic S. AUGUSTINUS mortiferi peccati nomine tria recenſita tantum intellexerit, certo ſtatuere non licet, cum ex multis antiquitatis chriſtianæ

a) Serm. LXXI. de verb. D. Matth. XII. n. 7. p. 387. T. V. D.

næ monumentis clareat, de horum criminum remiſſione acrius fuiſſe diſceptatum. S. ATHANASIUS ORIGENI, & THEOGNOSTO opinionem tribuere videtur, qua quævis chriſtianorum peccata, qui Sacramentis fidei initiati ſunt, ſi relabantur, remiſſione careant. *Cum ii*, verba ſunt S. ATHANASII a), *quibus in baptiſmate Donum Spiritus S. tribuitur, ad peccata recidunt: ideo remiſſionem peccatorum non ſunt conſecuturi.* Qua in re oppido illi falluntur, qui THEOGNOSTO aliam quam ORIGENI ſententiam animo ſediſſe putant, decepti voce Græca: τελειοῦσθαι, unde participium τελειουσμένος *perfectus;* interpretati ſunt, atque in eum ſenſum ſumſerunt, ac ſi THEOGNOSTUS ſolis perfectis, ſi in peccata relabantur, veniæ remiſſionem occludat: Cum ea voce Sacramentorum initiatio non ſolum ad chriſtianam religionem, ſed etiam ad ethnica ſacra paſſim apud Chriſtianos, & ethnicos auctores de-



a) Ep. IV. ad SERAP. T. I. p. 702. D. n. 9. Ὅταν οἱ καταξιωθέντες ἐν τῷ βαπτίσματι τῆς δωρέας τοῦ ἁγίου πνεύματος, παλινδρομήσωσιν εἰς τὸ ἁμαρτάνειν, διὰ τοῦτο γὰρ μηδὲ ἄφεσιν αὐτοὺς λήψεσθαι.

notetur, ut ſatis mirari non poſſim hunc errorem etiam græce doctum errare potuiſſe. Ut ad propoſitum redeam, non hic diſputo, ORIGENINE iure an iniuria hæc adſcribatur opinio, qui remiſſionis peccatorum in Eccleſia poteſtatem non ſemel agnoſcit, quam iſta ſententia penitus deſtruit, itemque pœnitentiæ ſæpius cum laude meminit: abſurdiſſima ſane hæc eſt opinio. *Certe enim*, ut
a verbis utar S. ATHANASII a), *ſi ii, quos ille* (CHRISTUS) *alloquebatur, Phariſæi nempe, lavacrum regnerationis accepiſſent, & doni Spiritus S. iam participes fuiſſent, veriſimilis eſſet eiusmodi interpretatio, illi quippe a iuſtitia deſciviſſent, & in Spiritum S. deliquiſſent, ſed cum lavacrum non acceperint, ſed etiam baptiſma Ioannis vilipenderint, cur illos accuſabat, quod blaſphemaſſent in Spiritum S. cuius nondum participes effecti fuerant?*
b Eadem ratione S. HIERONYMUS b) NOVATIANUM impugnat, remittendi poteſtatem inter Chriſtianos negantem, quod in Spiritum Sanctum peccet, *qui factus Chri-*

a) L. c. n. 12. p. 704. A.
b) Ep. CXLIX. ad MARCELLAM T. I. Ed. Plant. 1579. p. 414.

*Christianus, postea negaverit: Novatianus*, inquit, *affirmat, non posse peccare in Spiritum S. nisi eum, qui christianus sit, & postea negaverit: manifestum est, Iudæos, qui eo tempore blasphemabant, peccato blasphemiæ non teneri, quippe qui impii coloni interfectis prophetis de nece Domini cogitabant.* Sic iisdem argumentis & error Novatianus, ORIGENISque refutatur, cum, si quod res est, dicendum sit, uniusmodi etiam sit, nec consistere possit ecclesiastica remittendi peccata potestas, si omnia Christianorum peccata blasphemiæ in Spiritum S. sint veniæ expertia. *Cur vero*, inquit S. ATHANASIUS a), *Novatum culpamus pœnitentiam tollentem, ac dicentem, nullam superesse iis veniam, qui post lavacrum peccaverint, si hæc verba de illis, qui post lavacrum peccarint, dicta fuere?* Atque hi sunt fere, qui generalius, universaliusque peccatum in Spiritum S. sunt interpretati, ad nullam certam peccati speciem destinando; adversus quos iterum D. AUGUSTINI b) testimo- b

 nio,

a) L. c. n. 13. E.
b) Serm. LXXI. de verb. Evang. Matth. XII. T. V. p. 389. n. 11. F.

nio, dictoque, quod ille sæpius repetit, præscribimus. *Cum audimus*, verba sunt S. Doctoris, *Spiritus blasphemia non remittetur, non omnem blasphemiam, sed quandam: & cum audimus, qui dicit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei; non omne verbum, sed quoddam intelligere debemus.*

Blasphemia in Spiritum S. ab illa in Filium hominis non præcise distinguitur, quod hæc humanitatem, illa Deitatem Christi lacessat.

VI. Quod isti nimis ample, & latius de blasphemia, peccatoque in Spiritum S. disserunt, alii extreme oppositi, strictius, præcisiusque exposuere; cumque a MATTHÆO discrimen in blasphemia contra Filium, & illa contra Spiritum S. viderent positum, blasphemiam in Filium peccatum Pharisæorum in humanam Christi naturam, conversationemque sunt interpretati, ut cum Christum potatorem vini, peccatorum amicum dicerent. Blasphemiam vero in Spiritum, eorum adversus divinam naturam, divinaque opera, blasphema verba intellexerunt; quod haud respuendum foret, nisi plerique nimis exiliter hæc stringerent. Huiusmodi interpretatione usus est *Alphonsus* TOSTATUS, vulgo *Abulensis* a) dictus,

a

a) In C. XII. Matth. q. 67. f. 19.

dictus, quod esset Abulensis Episcopus: *Accipitur*, inquit, *Spiritus S. pro tota natura divina, & Filius hominis pro Christo quantum ad humanitatem solum, vel solum in quantum cognoscitur esse homo, & tunc peccatum vel blasphemia esset contra Filium hominis, si quis nocuisset* CHRISTO *eo tempore, quo nondum cognoscebatur, sicut illi, qui dixerunt: hic est vorax, & potator vini, præcedenti capite. Ista enim fiebant contra Filium hominis, quia fiebant contra eum, qui non putabatur esse Deus. Verbum vel blasphemia contra Spiritum S. est, quidquid dicitur contra Deitatem aperte, ut si quis dicat, quod Deus non remittit peccata &c* Ex SS. Patribus, quorum potissimum vestigia legimus, huius opinionis complures sunt Patroni. S. ATHANASIUS a) verbum contra Filium, & Spiritum S. contra duplicem in Christo naturam, duplicisque naturæ opera intelligit. *Ipsa*, inquit, *lectionis observatio videtur mihi talem quandam sententiam exhibere, & indicare utramque blasphemiam ad ipsum pertingere, & de se-*

a) Ep. IV. ad SERAP. T. I. p. 709. n. 19. D.

*ſe ipſo illum dixiſſe:* Filius hominis, & Spiritus: *ut ex illo, quæ corpus ſuum ſpectarent: ex Spiritu vero ſpiritualem ſuam, & intelligibilem veriſſimamque Divinitatem declararet. Siquidem id, de quo venia obtineri poteſt, ad Filium hominis retulit, ut corporea ſua ſignificaret: blaſphemiam autem non remittendam ad Spiritum pertingere declaravit: ut dum ad differentiam ſui corporis hæc diceret, ſuam Divinitatem commonſtraret.* Idem & loco citato, & alibi, tum potiſſimum libro de communi eſſentia
a Patris &c. ſæpius repetit: a) *Deitatem ergo Verbi ipſe Chriſtus Spiritum ſanctum appellat, quemadmodum ad Samaritanam locutus eſt: Spiritus, inquit, Deus eſt. Humanitatem vero ſuam Filium hominis nominavit.* Eadem S. Hilarius
b b) ſentit; *caret*, inquit, commentans in Matthæi de peccato in Spiritum S. locum, *Miſericordia, ſi Deus in Chriſto*
c *negetur.* Cyrillus c) *dum quiſpiam in hominem peccavit, Deum pro ſe poteſt invocare, cum vero in Deum blaſphemias*

*pro-*

a) S. Athan. de Com. eſſent. Patris &c. c. 49. T. II. p. 26. B. b) In Matth. XII.
c) Caten. in Matth. T. II. p. 436.

*protulerit, non licet invocare pro ſe. Cum itaque homo videretur Dei Filius, etſi natura Deus eſſet, non admodum ſine intellectu exiſtentibus innoteſcebat, veniam itaque ex ignorantia in ſeſe peccantibus largitur; eos vero, qui in Spiritum S. peccant, perpetuum dicit manere ſupplicium, Spiritum dicens totam Deitatem Trinitatis.* Catena in MARCUM a) duos a huius ſententiæ auctores collegit, VICTOREM *Antiochenum*, & PHOTIUM. Quorum prior *blaſphemiam*, inquit, in DEUM (*Deum enim deſignat nomine Spiritus*) *extra omnem ſpem veniæ dicit.* PHOTIUS: b) *Dum blaſphemiam in Spiritum ex-* b *pertem veniæ pronunciat, Deum intelligit nomine Spiritus.* Ait igitur, contumelias, quæ irrogabantur Chriſto, quatenus occurrebat ſenſibus, & merus homo cenſebatur, quaſi veniales videri poſſe, præ inexpiabili furore earum, queis Chriſtum pro DEO agnitum violare nihilominus pergebant. S. AUGUSTINUS quorundam opinionem refert, & reiicit, qui blaſphemiam in Filium a blaſphe-

a) III. f. 73.
b) Ib. f. 74.

blaſphemia in Spiritum S. venia, & remiſſione diſtingui aſſerunt, ut hæc irremiſſibilis, remiſſibilis illa pronuncietur, quatenus CHRISTUS ut Filius hominis minor eſt Spiritu S. *Nec illud*, inquit, a) *ſentiendum eſt, quod quidam putant, ideo remitti verbum, quod dicitur contra Filium hominis; non remitti autem quod dicitur contra Spiritum S. quia propter ſuſceptam carnem factus eſt Filius hominis* CHRISTUS, *qua carne utique maior eſt Spiritus Sanctus, qui ſubſtantia propria æqualis eſt Patri, & unigenito Filio ſecundum eius Divinitatem, ſecundum quam & ipſe unigenitus Filius æqualis eſt Patri, & Spiritui S.* Huius opinionis aſſertorem S. CHRYSOSTOMUM citant: & S. ATHANASIUS quædam haud abſona profert. Nihil vero intereſt, an, qui blaſphemiam in humanam naturam, a blaſphemia in Deitatem diſtinguunt, ſeu Filii, ſeu Spiritus Divinitatem intelligant, cum ſit una, eademque, par igitur, ac per omnia ſimilis horum ſententia.

VII.

a) S. AUG. ſerm. LXXI. de verb. Evang. Matth. XII. n. 24. f. 396. A.

VII. Ita vero complures, quos citavimus, blaſphemiam in Spiritum Deitati tribuunt, ut ex operibus, ſeu miraculis Christi coniicere Divinitatem, aut ſaltem divinam quandam in Christo vim agnoſcere debuiſſe Phariſæos aſſerant. Quod recentiores complures, inter quos *Abulenſis*, aperte faciunt, ut opera, & virtutem divinam Christi Deitatis indicem agnoſcendam a Phariſæis pronuncient. Et S. Athanasius a) hoc perſpicue Phariſæorum peccatum ſæpius conſtituit, unum locum adduxiſſe ſufficiat. *Si enim*, inquit, *comeſtio, ſpeciesque corporis, etiam hominem eſſe declarabat, quare non ex operibus perſpiciebant, ipſum in Patre eſſe, & Patrem in ipſo? Atqui id nolebant illi, imo potius ipſum Beelzebubem habebant in ſe loquentem, ut ex humanis eum hominem duntaxat vocarent; ex operibus auten, quæ* Dei *propria erant, non itidem illum eſſe* Deum *confiterentur.* Solum vero ex miraculis Deum in Christo agnoſcere neſcio num jure a Iudæis expeteretur. Quippe qui miracula plurima ab hominibus

Ob virtutem divinam ex miraculis reſplendentem.

a

a) Ep. IV. ad Serap. p. 709. C.

nibus divina virtute instructis, noscerent a MOYSE, & Prophetis, quæ quotidie in Scripturis legerent: neque Christus ordiente suæ prædicationis officio Divinitatis suæ agnitionem tam expresse flagitabat, præterquam ab illis, qui sibi arctius addicti erant. Deinde si quævis in Divinitatem blasphemia remissione caret, cur Ecclesia hæreticis de Divinitate Christi, & Spiritus S. errantibus veniam semper indulsit, indulgetque? Quæ
a secum reputans S. AUGUSTINUS a) loco sæpius citato, hanc reiicit sententiam: *Manifestum est*, ait, *& a Paganis, & a Iudæis, & ab hæreticis blasphemari Spiritum S. nunquid nam ergo deserendi sunt, & sine ulla spe deputandi &c.*

Peccatum in Spiritum S. nonsolummodo circumscribitur, si opera Spiritus S. dæmoni tribuantur.

VIII. Alii vero, iique non pauci præcise in eo peccatum Pharisæorum in Spiritum Sanctum posuerunt, quod opera a Christo divina virtute, digito, Spirituque DEI patrata dæmoni tribuerent. Inter quos PACIANUS b), *Hæc cæcitas*, inquit, *est*, *non videre quod videas*, *& Sancti Spiritus opera diabolo deputare*, *eam-*

a) Serm. LXXI. in Matth. 12. p. 387. n. 6. B.
b) T. IV. Bibl. Max. PP. p. 312. F.

*eamque gloriam Domini, qua diabolus ipſe ſuperatur, diaboli appellare virtutem. Hoc eſt ergo, quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus donantur.* Ubi advertendum, peccati enormitatem in eo potiſſimum ſiſti, quod aperta Spiritus S. opera, & agnita pro talibus, ſi dæmoni ſola malitia tribuantur, peccatum in Spiritum Sanctum ſint, quo ſe contaminarint Iudæi. S. AMBROSIUS a) itidem peccatum in Spiritum Sanctum aſſerit, quo opera Spiritus S. Beelzebub adſcriberentur: *De iis utique expreſſum videmus, qui Dominum* IESUM *in Beelzebub eiicere dæmonia loquebantur, quibus ſic reſpondet Dominus, quod ſatanæ hæreditas in illis eſſet, qui ſatanæ compararent Salvatorem omnium, & in regno diaboli conſtituerent Chriſti gratiam.* Paria habet in libro de Spiritu S. quamvis variet ſua in opinione, & quandoque cum S. HILARIO, & aliis Divinitatem in Chriſto negatam pro hoc peccato recenſeat, quandoque hæreſin: de qua eius ſententia poſtea dicendi locus

B erit.

a) L. II. de Pœnit. c. IV. T. IV. Edit. Par. 1586. p. 371. H.

erit. S. HIERONYMUS quodam loco adve
sus Novatianos tuetur, non quamvis Chr
sti abnegationem blasphemiam in Spi
tum S. esse, atque venia carens pecc
tum; pro tali tamen agnoscit, si ope
divina per apertam calumniam dæmo
a auctori attribuantur. *Unde*, inquit
*de toto ipsius scripturæ ordine convince*
*dus est* (NOVATIANUS) *non iis irremissi*
*lem esse dictam blasphemiam, qui torme*
*tis compulsi, & variis eviscerati cruc*
*tibus Dominum denegassent, sed iis,*
*cum in virtutibus videant opera D*
*calumniantur, & clamitant dæmonis*
*virtutem, & omnia signa, quæ fa*
*sunt, non ad Divinam magnificentia*
*sed ad diabolum pertinere.* Ne ve
cuipiam dubium esse possit, HIERON
MUM eiusmodi peccatum vere veniæ o
nis, & remissionis expers iudicare, q
post pauca citato in loco addit, in m
dium proferam. *Probet*, verba sunt
Doctoris, *Novatianus aliquem de iis,*
*sacrificare compulsi sunt ante tribu*
*iudicis, respondisse omnia, quæ in Evan*
*lio*

a) S. HIER. Ep. 149. ad MARCELLAM T
p. 414. b.

*lio ſcripta ſunt, non a Filio Dei, ſed a Beelzebub principe dæmoniorum fuiſſe perfecta: & tunc poterit approbare irremiſſibilem in Spiritum S. eſſe blaſphemiam.* Et ne cui in mentem veniat S. Doctorem largiri ſolum hoc NOVATIANO, non ſecundum propriam animi ſententiam loqui, quibusdam interiectis ſatis declarat, ſe manifeſte peccatum, quod non poſſit dimitti, ſtatuere: *Ut cum in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis.* Ut Græcos etiam proferamus Patres, qui blaſphemiam in Spiritum S. operum divinorum calumniam conſtituunt, primo S. BASILIUM a) audiamus. *Ex ea,* inquit, *quæ tunc facta eſt, blaſphemia, quam protulerunt Phariſæi, ob quos etiam hoc iudicium poſitum eſt, manifeſtum eſt illum etiam nunc blaſphemare in Spiritum S., qui actiones, & fructus Sancti Spiritus adverſario defert, quod multi patimur, probum quidem inanis gloriæ cupidum periculoſe appellantes: eius vero, qui bonum zelum oſtendit, viam ementientes, multaque huiusmodi pravis ſu-*



a) Cat. Nicetæ Ep. T. I. Cat. in Matth. p. 440.

*spicionibus falso producentes.* Ubi probe notandum, & observatione singulari dignum, blasphemiam in Spiritum S. committi, si etiam in hominibus opera, & fructus Spiritus S. quis calumnietur. Cuiusmodi blasphemiam Pharisæorum fuisse ex recentioribus GROTIUS statuisse videtur commentans S. MATTHÆI locum, qui potissimum præsenti disquisitioni locum dedit. S. CHRYSOSTOMUS a), ut ad græcos Patres redeam, similiter blasphemiam in Spiritum S. protervam, lubentemque, ut ita dicam, & prudentem operum Spiritus S. abnegationem vult esse. *Spectatoribus*, inquit, *miraculorum Christi contra propriorum sensuum experientiam contumacia nitentibus ad non credendum, quod palam erat, auctorem esse Spiritum S. talium operum, quomodo æquum sit ignosci ?* &c. Ad eundem sensum locum MATTHÆI eleganti paraphrasi circumscribit, eo solum excepto, quod, cum hic videatur crimen istud venia expers innuere, ibi ideo irremissibile asserat, quo significaretur, multo minus hoc esse ignoscibile, ac veniale. Cum

reliqui

a) Cat. græc. Pat. in Matth. T. I. p. 175.

reliqui fere, quos modo retulimus, SS. Pacianus, Ambrosius, Hieronymus prorſus veniam tali peccato negare videantur; & in *Catena* Nicetæ Chrysostomi referuntur verba, quæ aperte talem blaſphemiam irremiſſibilem habeant: certe ſtare hæc opinio nequit, cum nunquam Eccleſia conſueverit talis calumniæ reis veniam aliquando negare, ut neque de venia tali peccato neganda quæſtio unquam mota ſit, cum de aliis criminibus idololatria, homicidio, adulterio frequenter diſceptaretur. Praxin hic intelligo Eccleſiæ, non verba ſcriptorum attendo: nec praxin ſolum, ſed ſententiam conſtantem univerſæ Eccleſiæ, quæ nullius ſibi peccati remittendi poteſtatem reſtrictam ſatis declarat, ſi ſincera pœnitentia comite clavibus peccatores illud committunt. Et quoniam ſemel apud animum conſtituimus, apertæ inſiſtere litteræ, neque placet, quod ſcriptura clariſſime dicit, non fore remittendum de ſola veniæ difficultate interpretari, aliquid aliud hic eſt ſtatuendum. Quid? quod Eccleſia conſtituat plures peccati in Spiritum S. ſpecies, iſta autem

ſententia unius illius meminerit, cuius Iudæi erant rei.

Qui impœnitentiam finalem pro peccato irremiſſibili ſtatuerunt.

IX. Sunt, qui unum aliquod peccatum, impœnitentiam, hæreſin, pro peccato in Spiritum S. habent. S. AUGUSTINUS præcipue impœnitentiam peccato in Spiritum S. ponit, cumque quodam in loco invidentiam fraternæ charitatis pro peccato irremiſſibili venditaſſet, facti pœnitens libro retractationum addendum duxit: tunc peccatum non fore remittendum, cum ad finem uſque vitæ tali cordis habitudine perſiſteretur. Eandem opinionem etiam in locis ſtabilit, præſertim in ſermone quodam in MATTHÆI locum de peccato irremiſſibili. *Ipſa impœnitentia*, ſunt eius verba, *eſt Spiritus blaſphemia, quæ non remittetur*
a *neque in hoc ſeculo, neque in futuro* a), quæ pluribus ibi proſequitur. Et alio
b loco, *Hoc peccatum*, inquit b), *eſt duritia cordis uſque ad finem vitæ.* Idem vero S. Doctor nulli alii peccato remiſſionem deeſſe, & veniam aperte dicit: *Omne*

*prorſus*

a) S. AUG. ſerm. LXXI. in Matth. 12. p. 394. n. 20. A.
b) Ep. 85. n. 20.

*prorsus peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, quia ubi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum S. quo in Ecclesia peccata solvuntur, cuncta alia dimittuntur.* Hanc sententiam brevi aliquo tractatu stabilit ODO Cameracensis inserto Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdun. (Sec. XII. Part. II. p. 245.) putatque tam Evangelistas de blasphemia Spiritus, quam IOANNEM de peccato ad mortem differentes, hanc finalem spectare impœnitentiam. *Hoc*, inquit, a) *Evangelista vocat peccatum usque ad mortem, ut qui in peccato claudit extremum diem, culpam habeat irremissibilem, pro qua nullum Deus admittit orantem. Hæc est blasphemia Spiritus, quæ non remittitur, cum quis usque ad finem peccato tenetur, ut illum excipiat æterna pœna, quem cum voluntate peccandi deserit hæc vita; talis peccator in hoc seculo non absolvitur, quia in voluntate permansit peccandi, neque in futuro, quia cum voluntate peccandi transiit.* Recte hoc peccatum ad Spiritum S. pertinere vult,



a) Pag. 246. F.

quod Spiritus S. proprie peccata dimittat: dicitque ſe contra Spiritum S. talem conſtanter erigere, quod remiſſionem peccatorum excludit: qualis certe impœnitentia finalis eſt. In hanc ſententiam adductum ſe declarat ODO, quod ex una parte aperta ſit Evangelii de peccato aliquo non remittendo ſententia; ex altera parte in hac vita nulli pœnitenti clauſa remiſſionis janua, Eccleſiaque ſibi omnis peccati remittendi arroget auctoritatem, poteſtatemque. Verum recte advertit S. THOMAS, & BELLARMINUS, de hoc non loqui Chriſtum cum Iudæis: nondum enim erant finaliter impœnitentes; & eſt ſermo de peccato, quod in hac etiam adhuc vita pœna erat luendum, cum impœnitentia finalis huius vitæ nullam vindictam habeat. Neque ſolum impœnitentiam communis Eccleſiæ doctrina pro peccato in Spiritum S. habet, quin & aliæ ſint eiusdem peccati ſpecies, atqui, ſi, quodnam ſit genus peccati in Spiritum S. definire mens ſit, tale aliquod ſtatuendum, quod ſingulas complectatur ſpecies. Deinde cum apud MAT-

THÆUM

THÆUM comparatio instituatur peccatum inter in Filium hominis, & Spiritum S. atque prius remittendum, posterius non remittendum pronuncietur, de impœnitentia finali Evangelii contextus intelligi nequit: neque enim peccati in Filium, si quis eius haud pœnitens moreretur, remissionem facilius quis consequeretur, quam peccati in Spiritum S.

X. BELLARMINUS a) cum aliis non paucis pro peccato in Spiritum S. habet veritatem cognitam, & manifestatam ex malitia improbare, & tanquam dæmoniacam, & detestabilem calumniari. Pro confirmatione suæ opinionis profert magnum SS. PP. numerum, qui peccatum in Spiritum S. in eo posuerunt, quod Iudæi aperta Spiritus S. opera dæmoni attribuerint, quæ est veritatis agnitæ impugnatio. Profecto ex SS. PP. haud exiguo numero pro hac sententia faciunt, qui hæreticorum obstinatam veritatis christianæ impugnationem pro peccato in Spiritum statuunt, aut apostasiam a vera religione. Inter quos

Aut impugnationem cognitæ veritatis, e. g. in hæreticis.

a



a) De pœnit. L. II. c. XVI.

a S. Athanasius a) peccatum hæreticorum cum Iudæorum peccato confert: *Iudæi*, inquit, *Patris opera per Filium videntes, Beelzebubi ea adſcripſere, Ariani vero hæc ipſa cum cernunt opera, Dominum ea edentem creatis rebus annumerant, aiuntque ex non exſtantibus ipſum eſſe, & non fuiſſe antequam fieret
b &c.* ſubdit: b) *tam illis, quam iſtis nullam fore ſupplicii huic flagitio debiti remiſſionem Dominus declaravit.* S. etiam Ambrosius hæreticos, & ſchiſmaticos in numero peccantium in Spiritum S.
c collocat: *Eos quoque*, inquit c), *aſſerit* (Chriſtus) *diabolico uti Spiritu, qui ſeparant Eccleſiam Dei ut omnium temporum hæreticos, & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgendum negat.* S. Augustinus itidem hæreticos inter peccantes in Spiritum S. collocat, quo loco impœnitentiam peccatum hoc ſtatuit, ut adeo tunc eos tale peccatum conſummare credere putandus ſit, quando ad mortem uſque ſua in perverſitate ſiſtunt. Quomodo etiam S. Maximus incre-

a) Ep. IV. ad Serap. T. I. p. 713. C.
b) N. 23.
c) L. II. de Pœnit. c. 4.

incredulitatem peccatum in Spiritum S. conſtituit, ut in Catena Nicetæ refertur. *Blaſphemia in Spiritum*, verba illius ſunt, *eſt incredulitas non habens aliam pro remiſſione excuſationem, niſi fidelis fiat, neque hic, neque in futuro incredulitatis, & infidelitatis peccatum remittitur.* Haud equidem abnuimus, crimen, ſi veritas agnoſcatur, nec ſuſcipiatur, ad peccata in Spiritum S. revocari, atque adeo & ipſam incredulitatem, fideique impugnationem quodammodo huc reduci: cum Eccleſia etiam in numero peccatorum in Spiritum S. veritatis agnitæ impugnationem collocet, ſed non ſolam (quinque etenim alias ſingulares peccatorum ſpecies addit) a ſenſu autem, & doctrina communi Eccleſiæ recedere piaculum ſit non ferendum, quare miror BELLARMINUM ſolam veritatis agnitæ, & manifeſtatæ oppugnationem peccatum in Spiritum S. conſtituere, ceteris excluſis.

XI. Quamobrem nobis religioni duceremus ab eorum opinione recedere, qui cum D. THOMA peccatum in Spiritum S. ex certa malitia, atque ut auctor con-

Cum ſint ſex ſpecies peccati in Spiritum S. ex doctrina Eccleſiæ,

ex ſententia Chriſti irremiſſibilis.

Conſtitutionum apoſtolicarum habet, CYRILLUS, CEDRENUS, & *Georgius* HAMARTOLUS ἐκ παρατάξεως, *dedita opera, & obſtinatione factum*, ſtatuunt: non quidem malitia quadam generali, ſed tali, qua divina Spiritus S. in homine operantis beneficia, & fructus eluduntur, depelluntur que: unde ſex in catechiſmis diſtincta emergunt peccati in Spiritum S. genera: Impœnitentia, deſperatio, obfirmatio animi in malo, exploratæ veritati contradictio, de bonitate DEI præſumtio, qua in peccatum animamur, invidentia charitatis. Quoniam vero omnia iſta, ſi ut facta quædam ſingularia ſpectentur, quando ab hominibus perpetrantur, pœnitentibus ab Eccleſia remitti ſolent, nos vero eam vim ſcripturæ inferre reformidemus, ut, quæ prorſus non fore remittenda pronunciat, ea ad ſolam remiſſionis difficultatem redigamus; circumſpiciendum, ſatagendumque, ut ab Eccleſia agnitæ peccati in Spiritum S. ſpecies retineantur, demonſtretur vero ratio, quando eæ veniæ expertes reddantur. Antequam tamen hoc aggrediamur, quem remiſſionis modum

dum

dum Theologi quique in his peccatis ſtabiliverint, indagandum eſt, ne temere aliquid ſuſcepiſſe videamur, & ordine ſingula proſequamur.

---

## CAPUT II.

### *Sententiæ variæ de modo remiſſionis peccati in Spiritum S. diſcutiuntur.*

I.

Sunt, qui reſpiciendo præciſe ad Iudæorum facta, dictaque contra Chriſtum hominem non pro DEO agnitum, ita venialia cenſent, ut de eo nulla pœna repetenda ſit, ſecus de blaſphemia illa, qua opera Spiritus S. in Chriſto dæmoni tribuebant. Hanc opinionem ſequitur ex poſterioris ætatis interpretibus *Alphonſus* TOSTATUS. *Debet ergo intelligi*, inquit a), *quod blaſphemia dicta contra Chriſtum, in quantum putabatur purus homo, remittitur, ſcilicet etiam ſine pœnitentia, eoquod non reputatur peccatum, quia poteſt eſſe ex ignorantia, illa tamen, quæ erat contra Spiri-*

Quidam peccatum in Filium hominis veniale, in Spiritum S. mortiferum ſtatuunt.

a) *Alph.* TOST. in Matth. 21. q. 67.

*Spiritum S. id est contra Deitatem non remittitur, scilicet sine pœnitentia.* Adi ipsum auctorem graviter ea tractantem. S. Athanasius a) eandem remissibilis, irremissibilisque peccati notionem stabilit, si revera sit auctor libri de communi Patris, Filii, & Spiritus S. essentia. *Iudæi*, inquit, *qui semper in DEUM offendunt, duplicis adversus Christum blasphemiæ rei sunt: quorum alii in carnem impingunt, hoc est in Filium hominis, eum prophetam non DEUM existimantes, quibus veniam dedit, id enim initium erat prædicationis, cum nondum capax erat mundus, ut DEUM illum esse crederet, qui homo apparebat.* Idem velle videtur Photius b) *contumelias, quæ irrogabantur Christo, quatenus occurrebat sensibus, & merus homo censebatur, quasi veniales videri posse præ inexpiabili furore earum, quæ Christum pro DEO agnitum violare nihilominus pergebant.* Nisi comparationem tantum veniæ impetrandæ instituere videatur, & veniale irremissibili opponere. Sed nemo distinctius,

a) De comm. ess. Patris &c. T. II. p. 26. B.
b) Cat. in Marc. p. 74.

ſtinctius, magisque perſpicue veniale peccatum Iudæorum in Filium conſtituit quam THEOPHILACTUS a). *Quando,* inquit, *Iudæi Dominum viderunt edentem, & bibentem, ac verſantem cum publicanis, & meretricibus, aliaque omnia more Filii hominum facientem, eumque poſtea calumniati ſunt tanquam edacem, & vini potorem: in hoc erant venia digni, neque pœnitentia ſuper hoc ab eis exigetur: videntur enim non ſine ratione offendi.* Eadem repetit in caput XII. LUCÆ. Quam ſententiam periculoſam, atque blaſphemiæ proximam pronunciat SUICERUS ſuo in *Theſauro eccleſiaſtico*; quæ omnium optime, difficultatibus quibusvis ſatisfacit, ſed illud incommodum habet, quod receptæ omnium temporum opinioni contrarietur, ut ipſe ABULENSIS b) eius aſſertor haud diffitetur. Nec ſatis cum MATTHÆI textu componi poteſt, quo omnis blaſphemia, & peccatum remittendum dicitur, in Spiritum autem blaſphemia non. Quo in loco ceteræ blaſphemiæ,

a) In cap. XII. Matth. apud Suic. 640.
b) Matth: XII. 31.

miæ, & peccata ex adverſo blaſphemiæ Spiritus ponuntur, illa non hæc remittenda aſſeritur; neque omnis blaſphemia, & peccatum veniale eſt, niſi velis hæc ad ſolum Iudæorum peccatum referre, quo ſe contra Chriſtum obſtrinxerunt. Probe autem eſt diſtinguendus ſignificatus, quem veteres & recentiores voci *venialis* attribuunt. Probe etiam notandum, quomodo in præſenti materia veniale peccatum non veniali opponant: an non pro eodem habeatur, ac remiſſibile, & irremiſſibile in hoc adhuc ſeculo. Quo ſenſu ad litteram, & ad rigorem Chriſti de blaſphemia in Spiritum S. ſententiam præſefert.

Plurimi facilioris, difficiliorisque tantum veniæ diſcrimen ponunt.

II. Communiſſima eorum eſt opinatio, qui inter blaſphemiam in Filium, & Spiritum S. facilioris, difficiliorisque remiſſionis diſcrimen ponunt. GROTIUS a) cum aliis in MATTH. hebraiſmum eſſe contendit, *Hoc fiet, & iſtud non fiet, non*, ut ait, *quod prius membrum affirmeut, ſed quod oſtendere velint, quod poſterius ponitur, multo eſſe difficilius.* Senſum ergo eſſe vult: facilius eſſe quidquid cri-

a) GROT. Annot. in cap. XII. ℣. 31.

criminum unquam patrari poſſit, atque adeo calumnias etiam omnes, quæ in criminibus primum facile locum obtinent, remitti, quam ut ea remittatur calumnia, quæ adverſus Spiritum DEI committitur. Sed locus, quem GROTIUS citat ad hebraiſmum talem hic loci demonſtrandum, pari difficultate laborat: eſt autem ex primo Regum, ubi HELI, *Si peccaverit*, inquit a), *vir in* a
*virum, placari ei poterit DEUS; ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* S. CHRYSOSTOMUS nullum aliud remiſſionis diſcrimen agnoſcit inter utramque blaſphemiam, dicique aſſerit, crimen iſtud irremiſſibile, quo ſignificaretur, multo minus hoc eſſe ignoſcibile, ac veniale. VICTOR *Antiochenus* ſimilem limitationem huius loci fingit, ut ſolum difficiliorem Spiritus blaſphemiam voluerit innuere Chriſtus, quam ea ſit in Filium hominis. *Hic ſic loquitur*, inquit(b), *non quaſi aut contumeliam ſibi* b
*irrogatam condonari iam, & impunitam fore pronunciet, aut blaſphemantibus in*

C *Spi-*

a) 1. Reg. II. 25.
b) Cat. in Marc. C. III. p. 74.

*Spiritum S. locum pœnitentiæ, ſi voluerint, nullum relinquat. Verum hoc tantum ſignificat, ſi fiat comparatio inter contumeliam ſibi ut homini mero, qualis tunc apparebat, illatam: & blaſphemiam in S. Spiritum; hanc longo intervallo eſſe* a *graviorem.* S. THOMAS a), cum ſibi locum MATTHÆI obieciſſet de non remittenda Spiritus S. blaſphemia, aut intelligi debere pertendit impœnitentiam finalem, *Vel ſi intelligatur*, inquit in reſponſione ad tertium, *per blaſphemiam Spiritus S. peccatum, quod fit ex certa malitia, vel etiam ipſa blaſphemia Spiritus S. dicitur non remitti, ſcilicet de facili.* Veluti tamen diffidens huic ſuæ reſponſioni, alias addit: *Quod tale peccatum non habet in ſe cauſam excuſationis, vel quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc ſeculo, & in futuro.* Verum ſine aperta verborum detorſione hæc explicatio admitti nequit, & cum tres Evangeliſtæ eodem modo de hac re pronuncient, ut tale peccatum veniæ, & remiſſionis expers ſit, neſcio an non invita ſententia talis effingatur explicatio-

nis

a) 3. p q. 86. art. 2.

nis accommodatio. Nobis certe placere nequit, quamdiu res aliter transigi potest: citiusque priori explicationi de una veniali, altera damnabili culpa acquiescerem, quam isti, cui littera repugnat, nec invicta evincit aliqua auctoritas.

III. Aliis conditionem adiicere placet, tunc non fore remittendum peccatum in Spiritum S. quando pœnitentia de eo non agatur, cum nullum sit peccatum, quod pœnitentia expiari nequeat, *Et*, ut inquit S. Hilarius a), *omnium omnino peccaminum veniam nobis Dominus largiatur.* Neque secundum S. Athanasium b) ullum est peccatum irremissibile apud DEUM illis, qui vere ex animo, &, ut par est, pœnitentiam agunt. S. etiam Ambrosius c) dicit: *evidentissime Domini prædicatione mandatum esse gravissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam.* Similem con-

Sunt qui pœnitentiæ conditionem requirunt, ut peccatum in Spiritum S. remittatur.

a

b

c



a) In Matth. 18. n. 10.
b) De comm. ess. &c. q. 49.
c) L. II. de pœnit. c. 3.

conditionem pœnitentiæ ad remissionem peccati in Spiritum S. Anonymus *Tolosan.* adductus in Catena in MARCUM
a ponit a): *Qui prodigiosa*, inquit, *perpetrantem opera cernentes, qualia Prophetarum, aut Patriarcharum ab ullo facta nunquam essent, adversus eum blasphemaverint, quomodo veniam consequentur, nisi pœnitentiam egerint, cum nec causam, nec excusationem blasphemiæ in Salvatorem ullam idoneam, aut utcunque tolerabilem possint prætexere.* Atqui hæc neglectæ pœnitentiæ ratio haud minus in aliis quibusvis peccatis gravibus locum habet, quam in eis, quæ in Spiritum S. committuntur: nisi aliquid statuatur, quo singulariter in hoc peccati genere veniæ fons obstruatur. *Non*, ut inquit D. THOMAS, *quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum ut non remittatur. Et hoc dupliciter: uno modo quantum ad pœnam; qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur: qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem....* *alio*

a) Cat. in Marc. p. 74.

*alio modo potest intelligi quoad culpam: sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari... Ita etiam peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile secundum suam naturam in quantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum; per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & sanandi omnipotentiæ, & misericordiæ DEI: per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.* Similia D. AMBROSIUS a) habet: *Potens*, inquit, *est Deus, quando vult, donare nobis peccata, etiam quæ putamus non posse concedi: & ideo, quod nobis impossibile impetratu videtur, DEO donare possibile est.* Enimvero hoc difficultatem non tollit, quodsi enim peccata in Spiritum S. suapte natura pœnitentiam excludunt, & DEUS remissionis donum prorsus negat, ut expressis verbis habetur, *non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro*: futurum est, ut qui se peccato alicui in Spiritum S. immerserit, de venia sit desperatus: commisisset enim



a) L. II. de pœnit. c. 2.

peccatum non ſolum natura ſua irre
miſſibile, ſed cui etiam DEUS clar
verbis veniam negavit, *non remittetu*
&c. quæ verba remiſſionem non ex par
te peccati, ſed ex parte vindicis DE
impeditam declarant. Quæ cauſa per
a movit S. AUGUSTINUM a), ut ſolam im
pœnitentiam ad finem uſque vitæ per
durantem peccatum in Spiritum S. con
ſtituerit. *De nullo enim*, inquit, *deſpe*
*randum eſt, quamdiu patientia DEI a*
*pœnitentiam adducit, nec de hac vit*
*rapit impium, qui non vult mortem im*
*pii, quantum ut revertatur, & vivat.*
*Quid ſi iſti, quos in quocunque gener*
*erroris notos, & tanquam deſperatiſſim*
*damnas, antequam finiant iſtam vitam*
*pœnitentiam agant, & inveniant veran*
*vitam in futuro?* Profecto conſtantiſſim
eſt contra Montaniſtas Eccleſiæ doctrina
nullum peccatum eſſe, ſi pœnitentia d
eo agatur, quod remiſſionis gratia ca
reat. Et tamen Chriſtus peccatum po
nit, quod non ſit remittendum, ne
conditionem de pœnitentia addit,
fruſtra etiam addidiſſet, cum nec al
quæ-

a) Serm. LXXI. in Matth. XII n. 21.

quævis peccata sine pœnitentia dimittantur. Principii igitur petitio est conditionem ponere.

Remissionem qui, & quomodo prorsus excludant Latini.

IV. Iam vero ii etiam auctores, qui pœnitentia omnia peccata remitti asserunt, alias vero peccatum aliquod admittere reperiuntur, quod veniæ expers sit, nisi contradictionis crimen eis impingere velimus, nescio, an non pœnitentiæ fontem quandoque clausum iri, aut hominis, obstinatione, aut iusti divini iudicii decreto, dicere debeant. Qua de re cum pluribus inferius agendum sit, nunc, quæ huic loco necessaria sunt, solum prælibabimus. Quantum enim antiqui pœnitentiæ humanæ diffiderint, potest intelligi imprimis ex longa temporis mora, quibus veræ delinquentium pœnitentiæ experimentum capiendum sibi duxerunt, ut non solum pluribus criminibus ad finem usque vitæ producta, sed neque in fine omnibus, aut ægre saltem indulta sit, iis singillatim, qui dum sani essent, pœnitentiam neglexerunt, quæ praxis ex concilio Eliberitano, & S. Cypriano, aliisque elucet.

Neque unquam veteres indulserunt, ut publica pœnitentia aliquis sæpius fungeretur. Qua vero de causa? nisi quod sanctissimi, sapientissimique viri satis perspicerent humanæ indolis perversitatem, quæ cor facile ad impœnitentiam obduraret. *Namque sæpe*, ut inquit S. GREGORIUS a), *nonnulli exire a pravis actibus cupiunt: & quia eorundem actuum pondere premuntur in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt.* Quod præsertim iis contingit, qui ad mortis articulum pœnitentiam distulerunt. *Percutitur*, ut inquit auctor b) serm. III. de Innocentibus, quæ verba etiam in Cæsario reperiuntur, *hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, DEI oblitus est.* Quæ causa est, quod quidam peccatum irremissibile in eo posuerint, si pœnitentia in seram ætatem differatur c). Neque enim putandum est Deum refragantibus nobis, & in adversa ruentibus semper pœnitentiæ donum largiturum.

a) Moral.
b) Int. op. S. AUG. T. V. app.
c) Vid. Constit. Ap. L. II. unacum notis COTELERII.

turum. Ecclesia autem remissionis munus tribuere nemini potest, nisi qui sincere, & serio pœnituerit. Unde ratio suppetit, quomodo SS. Patres peccatum esse, quod venia plane careat, edixerint, & tamen quibusvis pœnitentibus remissionem promiserint. In hunc modum S. PACIANUS a) interpretandus est, qui satis clare peccatum irremissibile agnoscere videtur, si opera divina diabolo tribuantur. *Hæc*, inquit, *cæcitas est, non videre quod videas, & Spiritus S. opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem; hoc est ergo, quod non dimittetur: reliqua bonis pœnitentibus donantur.* S. HILARIUS b) haud absimiliter effatur: *Cum cetera*, inquit, *dicta, gestaque liberali venia relaxentur, caret misericordia DEI, & in quo sine venia peccatur, benevolentiam iteratæ admonitionis impendit: omnino peccata cuiusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum S. non remittendam.* S. AMBROSIUS c) ad hunc sen-

C 5 sum

a) Bibl. PP. P. IV. f. 312. F.
b) In cap. 12.
c) In Luc. L. 10.

ſum loquitur: *Siquis*, inquit, *Spiritus S. dignitatem, & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in Spiritu DEI eiici dæmonia, ſed in Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt.* S. HIERONYMUS non obſcurius idem peccatum veniæ expers pronunciat, eius verba iam ſuperius retulimus. Hi itaque auctores, cum alibi plenam Eccleſiæ poteſtatem ſtabiliant omnium remittendorum peccatorum, niſi ſibi ipſis contrariari dicendi ſint, aut minus catholice ſentire, de illis interpretandi ſunt, qui fontem pœnitentiæ obſtruunt, & cor obdurant, aut indignos ſe, quibus DEUS pœnitentiam præbeat, redhibent. Difficultate vero verborum Chriſti apud tres Evangeliſtas præſertim MATTHÆUM inducti ita loquebantur, & a Novatianis adigebantur. Hinc S. AMBROSIUS a) *Si unum tantum crimen*, inquit, *exciperent ſacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, ſed tamen divinis tantum redarguerentur ſententiis, aſſertionibus tamen ſuis convenirent.* Iſtic AMBROSIUS Nova-

a) C. I. L. I. de Pœnit.

vatianis tantum indulget, quod ex mente ſua non largiretur. S. vero AUGUSTINO a) verba Chriſti de peccato veniæ experte tam perſpicua ſunt viſa, ut qui nullum peccatum tale agnoſceret, eum Salvatori contradicere putet. *Neceſſe eſt*, inquit, *plane, ut ſit aliqua blaſphemia, & aliquod verbum, quod ſi dicatur contra Spiritum S. nullam unquam veniam, remiſſionemque mereatur . . . quia ſi nullum putaverimus, contradicimus Salvatori. Eſt ergo ſine dubio aliqua blaſphemia, & aliquod verbum, quod ſi dictum fuerit contra Spiritum S. non remittetur.* Quæ ratio AUGUSTINUM induxit, ut impœnitentiam finalem pro tali peccato ſtatueret, cum ſibi de nullo deſperandum duceret, qui præſentem adhucdum vitam viveret. S. ANSELMUS liberius, duriusque de hac re edixit commentans locum MATTHÆI 12. *Tales*, inquit, *in diabolicum peccatum cadunt, & DEUS deſerit eos, ſicut Judam, ita quod non poſſunt pœnitere, nec humiliare ſe, ſed per obſtinationem detenti ſunt, & illud peccatum eſt irremiſſibile,* &

a) Serm. LXXI. in Matth. 12. n. 10.

*& hoc vocatur peccare in Spiritum S.*
a S. THOMAS a), ut ſuperius etiam nonnihil meminimus, peccatum in Spiritum S. irremiſſibile ſtatuit, aut impœnitentiam finalem, aut quod de ſe mereatur tale peccatum non remitti. Et difficultatibus occurrit. Primo dicit : *Conſiderata miſericordia DEI de nemine eſſe deſperandum : ſed conſiderata conditione peccati, dici aliquos filios diffidentiæ.* Deinde alteri occurrit difficultati de libero arbitrio, atque ſic ſolvit, ut dicat, *Remanere quidem ſemper in hac vita vertibile arbitrium : tamen abiicere quandoque hominem a ſe, per quod verti poteſt ad bonum, quantum in ipſo eſt.* Unde ex parte ſua eſt irremiſſibile, licet DEUS remittere poſſit. Apud Patres ſiſtimus, nec ulterius proferimus pedem ad Theologos ſequioris ævi.

Et Græci SS. Patres.

V. Græci haud minus in hac re progreſſi ſunt : initio ſtatim varia nomina retulimus, quibus peccatum in Spiritum S. inſigniunt, quæ ſingula remiſſionem excludere videntur. Antiquiſſimus S.

a) 2, 2. q. 14. art. 3.

S. Hermæ a) Pastor genus quoddam peccatorum constituit, quibus nullus ad resipiscentiam regressus sit. *Audi*, inquit, *quæcunque pecora vidisti valde læta, & exultantia: ii sunt, qui in perpetuum a DEO discesserunt, & tradiderunt se desideriis huius seculi. Iis ergo non est per pœnitentiam regressus ad vitam; quoniam quidem adiecerunt ad reliqua delicta sua, & nomen Domini nefandis insectati sunt verbis.* Et auctor Constit. Apost. *Si quis*, inquit b), *instructa veluti acie rebellis delinquat, tentans Deum quasi malos non insectantem, huiusmodi venia carebit.* Sæpe laudatus S. Athanasius c) peccatum a Pharisæis non semel remissionis expers pronunciat. *Cum autem illos*, ait (Iudæos) *de multis criminibus prius accusaret . . . attamen hortabatur eos, ut pœnitentiam agerent. Verum ubi ipsum dicerent in Beelzebube eiicere dæmonia, non hoc ultra peccatum simpliciter, sed blasphemiam dixit esse tantam, ut qui talia proferre ausi essent,*

*nec*

a) P. P. Apost. Vol. II. Pastor. L. III. sin. 6. p. 108.
b) L. II. c. 23.
c) Ep. IV. ad Serap. n. 12. Item n. 14. &c.

*nec pœnam effugere, nec veniam obtinere possent.* Cum igitur aliquando addit, si perseveretur in blasphemia, tunc fore eam irremissibilem, eo sensu, quem supra asseruimus, intelligendus venit, ut sibi sua constet sententia. S. CHRYSOSTOMUS a) cum, ut supra retulimus, difficultatem solum remissionis in peccato Spiritus S. admittat, eius tamen nomine Catena in MATTHÆUM sententiam exhibet, quæ prorsus omnem veniam præcludere videatur. *Qui*, inquit, *conspectu ipso mirabilium operum vinci non potuerunt, ut agnoscerent, utique nonnisi virtuti divini Spiritus adscribenda esse illa: quin potius contra ipsum, & contra Divinitatem blasphemaverunt, indigni sunt, qui veniam tanti sceleris ullam unquam consequantur.*

Magnam esse opinionum perplexitatem, & timide nos quidpiam in hac causa moliri.

VI. Hactenus eorum sententias, & verba descripsimus, qui videntur peccatum aliquod agnoscere, cui nulla venia relinquatur, quod certe Christi verba omnino velle vix dubitandum censeo, nimis enim aperta sunt, nec semel tan-

a) Cat. in Matth. T. I. p. 173.

tantum prolata. Quare illud S. Augustini firmiter animo inhæret: *ſi nullum putaverimus, contradicimus Salvatori.* Atqui hic Rhodus, hic ſaltus. Plane S. Augustino in eo etiam lubens aſſentior: forte in omnibus ſacris ſcripturis nullam maiorem, difficilioremque nullam quæſtionem inveniri. Una parte dogma catholicum invictum conſiſtit, nullum eſſe peccatum, cui veniam non tribuat Eccleſia, ſi pœnitens quispiam eam pulſet: ſolam impœnitentiam finalem ſtatuere rem nec exhaurire, nec ſatis ad propoſitum eſſe, aut vim verborum Chriſti aſſequi, iam ſuperius prodidimus. Peccato enim in Spiritum S. etiam in hoc ſeculo venia negatur, impœnitentia autem ſolum ad futurum ſeculum ſpectare poteſt. Quod S. Augustinus dicit, illud, *neque in hoc ſeculo, neque in futuro* idem ſignificare quod *in æternum*; non abnuo, ſed aio cum Maldonato a): *Æternum illud duas habere partes, hoc ſeculum, & futurum, & quod Marcus univerſe dixit, id Matthæum per partes diſtribute dixiſſe.*

a) In Matth. XII. 32.

*ſe.* Reliquæ omnes ſententiæ, quæ ſingulare aliquod peccatum, aut plures peccatorum ſpecies, quæ tamen uno aliquo conſummentur actu, ſtatuunt, ſi revera talia velint, quibus nulla reliqua ſit remiſſio, hoc ipſo in Spiritum S. peccant, propterea quod poteſtatem eccleſiaſticam remittendi peccata non ea, qua par eſt, amplitudine profiteantur. Quid in hac perplexitate opinionum agendum? Si audendum eſt aliquid, noſtriſque nonnihil conjecturis, opinationibuſque indulgendum, dicam, quid ſentiam, ſed cum ea præfatione veniæ, deprecationeque, qua S. ATHANASIUS a) huius ipſius difficultatis reſolutionem eſt aggreſſus. *Vereor*, inquit, *id vel ullatenus aggredi, ne ſi in dictum illud mentem quaſi demerſero, ſcrutarique cepero, non valeam profundum eius intellectum exhaurire. Tacere igitur de illo omnino ſtatueram his prioribus contentus ſcriptis. At... vim mihi ipſe intuli, ut vel mediocrem, quam de illo didici, ſententiam perſcriberem: quod ſperem, ſi ſcopum attingamus, docentis gratia rem*

*tibi,*

a) Ep. IV. ad SERAP. n. 8. T. I. f. 701.

*tibi, quicunque hæc legere dignaris, probatam fore: ſin aberremus, non reprehenſurum te.*

---

## CAPUT III.

### *Noſtra de peccato in Spiritum S. opinio exponitur, ac primum quidem in cauſa Iudæorum ex ſcripturæ teſtimoniis.*

I.

Hac Theologica noſtra exercitatione non ſolum ea, quæ ad dogma, catholicum de peccatis in Spiritum S. expendenda ſunt: verum etiam præcipue de eo peccato ſingulatim in Spiritum S. de quo actionem Iudæis intendit Chriſtus apud tres Evangeliſtas, tractandum. *Non enim*, opportune ait S. Athanasius a), *ſimpliciter docendo Dominus hæc loquebatur, neque iis, qui futuri erant, ſupplicium interminabatur; ſed in præſentia vere Phariſæos incuſans, utpote tantæ blaſphemiæ iam reos illud dicebat Dominus.* Atque hoc tanto ſtudioſius eſt

Neceſſario de Iudæorum in Spiritum S. peccato primo indagandum.

a

D ſatagen-

a) Ep. IV. ad Serap. n. 12. f. 704.

ſatagendum, quod hoc ſemel conſtituto, reliquum ad dogma pertinens magna difficultatis parte levetur: cum enim dogma de peccato hoc illis ex ſcripturæ locis, quæ modo præ manibus ſunt, Eccleſia depromſerit, Scripturæ momentum ſi extricatum fuerit, de reliquo facilis erit perſuaſio.

Chriſtum reos egiſſe omnium eorum, quibus dona Spiritus S. aliquando peſſumdederint, peccatorum.

II. Quod optimi quique obſervarunt interpretes, & ipſa ratio requirit, ita ad Iudæos ſermonem fecit Chriſtus, ut intelligi potuerit. Itemque quave ratione rei fuerant Iudæi peccati tum in Filium hominis, tum in Spiritum Sanctum, eatenus redarguti ſunt de his peccatis a Chriſto. Ea notione Chriſtus, Filii hominis, ac Spiritus S. nomen uſurpavit certe ad Iudæos verba faciens, qua illi imbuti fuerant, per Filium hominis autem Chriſtum ſemetipſum indigitare ſolitum ignorare non potuerant, cum ſæpius ita ſe vocantem Chriſtum audiiſſent. Spiritus Sancti nomen ignotum haud fuerat, ſed paſſim vim, & virtutem quandam operatricem mirorum, & naturæ vires excedentium effectuum, in Prophetis loquentem, & futura prædicentem nove-

noverant. Hoc omnes perſpexerunt. Nec dubium eſſe poteſt, Chriſtum ad Iudæos eſſe locutum, prout præſens eorum fuerat ſtatus, non ſolum eorum, qui tum aderant, verum etiam qualis Iudæorum erat conditio a prima in peculium DEI, populumque electum ſegregatione: a quo tempore tanto numero, tamque magna menſura deliquerint, ut iam ſe venia indignos reddiderint, pœnaque afficiendi ſint a DEO iuſtiſſimo vindice, & in hoc, & in futuro ſeculo. Itaque peccatum in Spiritum S. neque ſingulare aliquod ſemel tantum commiſſum, & conſummatum peccatum ſtatuimus, cui nec in hoc, nec altero ſeculo reliqua ſit venia, neque perſeverantiam in peccato ad finem uſque vitæ, ſed menſuram aliquam peccatorum in Spiritum S. id eſt donorum divini Spiritus contemtum, & neglectum, certo numero ſoli DEO noto, quo expleto, tametſi etiam plena deſertio non contingat, ut nulla amplius divini Numinis aura ſpiret, quo poſſit homo e peccati ſtatu ſeſe erigere, & ad meliorem frugem redire, tamen ob torporem, obdurationem cordis, mentis

cæcitatem non ſurget. Quare non dictum a Chriſto, *non remitti poteſt*, ſed *non remittetur*, nec proprie irremiſſibile dicitur ſingulare aliquod peccatum, ſed tale genus peccati, quod non remittetur. Talis tum erat Iudaicæ gentis conditio. Multa in Chriſtum ceu Filium hominis deliquerant, iam tum, & adhuc delicturi erant, ſed ob hoc non deſerendi, quod ignoratione videri potuerint iſta perpetraſſe. Quæ vero in Spiritum S. eiusque aperta opera commiſiſſent, quod excæcatam mentem, obduratum animum præſeferrent, inexpiabile erat crimen. *Quid eſt,* inquit S. CHRYSOST. a) *ſuper omnia peccata hoc eſſe abſque remiſſione? Ecquid tandem? quia videlicet ipſum, quis demum eſſet, ignorabant, Spiritus autem ſufficiens acceperant experimentum: omnia enim Prophetæ per eum erant elocuti, omnes autem in antiqua lege maximam de eo habuerunt opinionem. Quod igitur ait, huiusmodi eſt: eſto, in me impingitis ob carnem, quæ me circumdat, at de Spiritu S. dicere non poteſtis, ignoramus eum: propterea expers remiſſionis vobis*

a) Cat. Nicetæ in Matth. XII. 437.

*vobis est blasphemia, & hic, & ibi pœnas dabitis: quascunque igitur in me effuderitis blasphemias ante crucem, remitto, etiam illud ipsum atrox crucis facinus: de sola autem incredulitate condemnabimini. Quæ autem de Spiritu dixistis, veniam non consequentur, qua de causa? Quia cum ille vobis notus esse debeat, etiam quæ manifesta sunt, impugnatis: etsi enim dicatis vos me ignorare, illum utique non ignoratis, & dæmones expellere, & curationes perficere Spiritus S. opus esse: non mihi itaque tantum infertis iniuriam, verum etiam Spiritui Sancto, ideoque neque hic, neque ibi ultio a vobis poterit auferri.* Hæc prorsus ad rem, ut mirer non constanter his vestigiis inhæsisse, qui de peccato in Spiritum S. aliquid statuerunt, ipsum præsertim S. CHRYSOSTOMUM, si hæc tamen illius sunt. Blasphemia igitur Iudæorum in Filium hominis fuerat, quidquid in Christum Filium hominis eum præcise calumniando, peccarant: blasphemia autem Spiritus designabat munera Spiritus S., ad quæ tum gens Iudaica universim, tum illi, qui præsen-

tes aderant, adverſus tot, ac tanta divinæ benevolentiæ dona, ac munera in miraculis, prophetiis, tum a Chriſto, cum ante Chriſtum, refragarii, mentem obdurarunt, ob quæ ipſos ſupplicium in hoc, & altero ſeculo maneret. Hæc rudius delineata explananda ſunt, ac demonſtranda illis ex fontibus, quibus nullus refragari audeat, ea perſpicacitate, quæ quemvis, ni oppido fallor, percellat.

Ex toto ſermonis contextu apud Evangeliſtas peccatum Iudæorum in Filium, & Spiritum S. eruitur.

III. Tres illi Evangeliſtæ, qui de peccato in Spiritum S. ſcripſerunt, MATTHÆUS, MARCUS, & LUCAS, quo loco de eo tractarunt, ita antecedentem, ſubſequentemque ſermonem aptarunt, ut locos communes de hac re colligere videri queant. In id vero eorum dicta conſpirare videntur, quod nos paullo ante indicavimus: diſcrimen peccati in Filium, & Spiritum S. in eo verſari, quæ Iudæi in Chriſtum peccarent, qua ratione humana eius cernebatur converſatio, remiſſum iri, quas vero in eius opera, divinæ cuiusdam poteſtatis indicia, calumnias evomerent, menſuram eam complere, qua inde a prima eorum electione reos ſe, & rebelles divinis monitionibus,

&

& donis redhibebant. Occaſionem dicendi præbebat dæmonium mutum a Chriſto a) eiectum, quod Iudæi calu- a
mniabantur Chriſtum b) non divina, ſed b
Beelzebubi virtute præſtitiſſe. MATTHÆUS, qui XII. Evangelii ſui capite de præſenti materia loquitur, capite
priore XI. c) refert de nunciis ad Io- c
ANNEM miſſis miraculorum Chriſti te-
ſtibus. Comparat ibi Iudæos d) pueris d
ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non luxiſtis.* Quod ad ſuum, & IOANNIS Baptiſtæ evangelicum munus refert, calumnias, quas in ſe, & IOANNEM ructarant,
commemorans: *Venit enim,* inquit e), e
*Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* En blaſphemiam Iudæorum in Filium,



a) Matth. XII. 22. Luc. XI. 14.
b) Matth. XII. 24. Marc. III. 22. Luc. XI. 15.
c) Matth. XI. 4. &c.
d) Ib. verſ. 16.
e) Matth. XI. 18.

& hæc remissionis non expers forte in sequentibus videri possit declarari, addit
a enim a) *& iustificata est sapientia in filiis suis.* Sed hoc divinamus solum, nihil certi habemus: *Tunc*, pergit MATTHÆUS, *cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam.* En peccatum in Spiritum Sanctum, cuius veniam non essent consecuturæ civitates illæ: habe hoc ex ipsis Christi verbis. *Væ tibi*, inquit, *Corozain*, *væ tibi Bethsaida:* utque magnitudinem supplicii ostenderet, quod tot & tantis contemtis DEI vocantis muneribus mereantur, Tyrios, & Sidonios in exemplum adducit, quibus tantæ gratiæ factæ non sint, hinc illis remissius fore. Capharnaitis etiam Sodomitas præponit, quos DEUS tantis gratiis ad pœnitentiam non cumularit. His MATTHÆUS veluti facem accendit illis, quæ consequenter de peccato in Filium hominis, & Spiritum S. dicturus fuerat. S. LUCAS iam capite X. eandem comminationem præmittit iis, quæ initio XII. de peccato Iudæorum in

Filium

a) Ib. v. 19.

Filium hominis, & Spiritum S. dicere cogitabat. Multa etiam præmittit capite XI. ſermoni de blaſphemia, quæ MATTHÆUS ſtatim eidem ſermoni ſubdit: ut illud de immundo Spiritu ad deſertum antea hominem revertente a) *aſſumtis* a
*aliis ſeptem nequioribus ſe*, unde accidat, ut fiant *noviſſima hominis illius peiora prioribus*. Addit parabolæ huic S. MATTHÆUS: *ſic erit & generationi huic peſſimæ*. Quod haud obſcure innuit Iudæos, quando divino munere a peccato fuerint exempti, & a dæmonis veluti obſeſſione liberati, ſi ei rurſus locum dent, ad deſperatiorem ſtatum redigi, & ſemper in peius ruere, quo minus iam pœnitentiæ locum relinquant. Quod quid aliud quam ſpretarum gratiarum, commiſſorum peccatorum pondus ſemper gravius, & menſura plenior, quam mentis obduratio, & deſperatio conſequatur? LUCAS item antevertit, quæ MATTHÆUS b) ſtatim ſubiungit: Iudæos b
poſt tot prodigia ſignum quærere, & unum eis reliquum fore ſignum IONÆ.



a) Matth. XII. 43. Luc. XI. 24. &c.
b) Matth. XII. 39. Luc. XI. 29.

En numerum certum, & finem divinorum erga Iudæos munerum. Uterque & MATTÆHUS, & LUCAS mox addunt, sed hic anticipatione, ille consequenter post sermonem de blasphemia Iudæorum in Filium, & Spiritum S. de regina
a Austri a), & Ninivitis surrecturis in iudicio contra Iudaicam gentem, & eam condemnaturis, qui se promtissimos exhibuerunt: illa ad conveniendum, audiendumque SALOMONEM, hi ad pœnitendum nullis signis, & prodigiis incitati, sola voce, & rumore adducti; cum Iudæi tot singularia divinæ erga se clementiæ portenta susque deque habuerint, nec locum pœnitentiæ dederint.

Iudæorum peccatum in Spiritum Sanctum.

IV. Enimvero illud palmare, quod præmittit S. LUCAS b), atque etiam *cap. XIII.* postea repetit S. MATTHÆUS c) alio loco habet, atq; non sententiæ solum,
b verum etiam verborum convenientia sat
c superque declarat, ad idem sermonis filum pertinere. Væ itaque apud utrumque Evangelistam comminatur, apud MAT-

a) Matth. XII. 41. Luc. XI. 31.
b) Luc. XI. 47. XIII. 34.
c) Matth. XXIII. 29.

MATTHÆUM Scribis, & Pharifæis, apud LUCAM, nemine nominato, Iudæis, qui ædificent monumenta, & fepulchra Prophetarum, quos eorum patres occiderint, unde teftimonio fint, fe eorum filios effe, qui Prophetas occiderunt: *Ut inquiratur*, loquitur facer textus a), *fanguis omnium Prophetarum, qui effufus eft a conftitutione mundi a generatione ifta, a fanguine Abel ufque ad fanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, & ædem. Ita, dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Quæfo quid apertius dici potuit de ea menfura, qua completa blafphemiam illam, & malitiam in Spiritum S. confummaturi Iudæi fint, remiffionis veniam neque in hoc feculo, neque in futuro confecuturi? Quod, ne ulli dubium effe poffit, apud MATTHÆUM b) expreffe eft additum: *Et vos implete menfuram patrum veftrorum:* mox fubdito fermone de occidendis, occifisque a Iudæis Prophetis, & fapientibus, & repetendo eorum ab ipfis fanguine. Quo vero adhuc evidentior res evadat, MAT-

THÆUS

a) Luc. XI. 50.
b) Matth. XXIII. 32.

THÆUS his omnibus addit Chriſti verba (quæ iisdem fere ſyllabis apud LUCAM
a a) reperiuntur proximo ab eo capite, quo de peccato Iudaico in Spiritum S. ſermo eſt) quibus omnia ea continentur, quæ hactenus particulatim proſe-
b cuti ſumus. *Amen*, inquit b), *dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* His verbis peccatum Iudæorum non unum aliquod, ſed certo numero, certa menſura, innuitur, ob quod ſunt reiecti a DEO: illudque peccatum in eo conſtituitur, quod Prophetas, & alios a DEO miſſos nuncios non ſuſceperint, qui divino Numine acti opera S. Spiritus exercebant, quæ reſpuere peccatum in Spiritum S. eſt. Huc ſpectat parabola de vinea, in quam diverſis temporibus miſerit, quem male tractarunt cultores vi-

neæ,

a) Luc. XIII.
b) Matth. XXIII. 36.

neæ, noviſſime vero miſſum Filium occiderunt: poſt quæ tandem veniens Dominus perdiderit colonos iſtos, & vineam aliis locarit. Hæc parabola non ſolum a tribus Evangeliſtis a) commemorata eſt, verum etiam longe ante ab ISAIA, & IEREMIA Prophetis uſurpata. *Quid eſt*, ait ISAIAS b), *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas? & nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* Et per IEREMIAM c) Spiritus S. *Ego autem plantavi te*, inquit, *vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena? Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus DEUS.* Hæc Chriſtum in Prophetis locutum, quæ ſuo deinde ore ad Iudæos protulit, nemo non videt. Ubi ſole clarius, quod nos contendimus, habetur: Iudæos, poſtquam diu in-

a) Matth. XXI. 33. Marc. XII. 11. Luc. XX. 9.
b) Iſa. V. 4.
c) Ier. II. 21.

ingratos se erga divina munera, & dona, quæ Spiritui S. tribuuntur, ab eoque dispensantur, exhibuerint, tandem iusto DEI iudicio reiectos non solum terra ipsis tradita, hæreditaque terrestri, sed etiam cœlesti: atque hoc est, *non remittetur in hoc seculo, neque in futuro.* Infinitus essem, si ex veteri testamento omnia, quæ huc facerent, adducere vellem testimonia: solummodo lectorem moneo, MALACHIAM postremum Prophetarum ut legat, qui Iudaicæ genti veluti nuncium mittendi, & repudium dandi divinam auctoritatem accepit: post quem longe rarissimum apud Iudæos propheticum munus, neque ullum aliquod ad communem Iudaicæ gentis causam est concessum: quo vel solo patet, DEUM paulatim ubertatem donorum, & gratiarum cohibuisse. Qui collecta huius rei plura ex sacris scripturis documenta nosse cupit, vel unum S. CYPRIANI librum I. testimoniorum adversus Iudæos primis sectionibus legat.

**Iudæi ipsi desertionis, & obdurationis causa.**

V. Ergo summa æquitate, & iure DEUS fecit, ut ab iis, qui divinæ beneficentiæ munera aspernarentur, & negligerent,

gerent, illa ſubtraherentur. Quod Chriſtus apud MARCUM proximo ſtatim ſermone poſt eum, quem de blaſphemia Iudæorum in Filium hominis, & Spiritum S. habuit, edixit: *Qui enim,* ait a), a
*habet, dabit illi, & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.* Eodem loco eandem ſententiam MATTHÆUS b) expreſſit: nec ſemel tantum ea uſus eſt, b
quemadmodum etiam S. LUCAS c) bis eam repetiit. Unde in parobolis cum Iudæis loqui Chriſtum conſueviſſe his ipſis locis MATTHÆUS, & MARCUS d) referunt: *Quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ* e) *dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Ingraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* c d e

Quo

a) Marc. IV. 25.
b) Matth. XIII. 12. XXV. 29.
c) Luc. VIII. 18. XIX. 26.
d) Matth. XIII. 13. Marc. IV. 12.
e) Iſa. VI. 9.

Quo loco illud obſervandum, ipſos Iudæos graviter audiiſſe, & oculos ſuos clauſiſſe; ne quem cogitatio ſubeat, DEUM hæc effeciſſe, & non permiſiſſe ſolum: ſed cœleſtes gratiarum fontes indignis clauſit, ſine quibus futurum non ſit, ut convertantur. Hæc autem ita ſe habere, declarat parobola ſeminis, & ſeminantis, quam MATTHÆUS, & MARCUS a) huic ipſi ſermoni innectunt, ubi quædam ſecus viam, alia in petroſa, alia rurſus in ſpinas ceciderunt: neque ſemen fuit in cauſa, ſed ſpinæ, petra, via, quod fructus non ſequatur. Unde eorum verborum ſenſus patet, quæ MATTHÆUS b) mox illis verbis de blaſphemia, & peccato in Filium hominis connectit, quod argumento eſt, ad eandem ſpectare materiam: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſicuti ex fructu arbor agnoſcitur.* Ut autem innoteſceret Iudæos hæc petere: *Progenies viperarum*, invehitur adverſus eos Chriſtus, *quomodo poteſtis bona loqui,*

a) Matth. XII. 3. Marc. IV. 3.
b) Matth. XII. 33.

*qui, cum ſitis mali? Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.*

VI. Hactenus collato inter ſe trium Evangeliſtarum contextu, coniunctis etiam antecedentibus, & conſequentibus ſenſum verborum de blaſphemia Iudæorum in Filium hominis, & Spiritum S. qui crucem, & commentatoribus, & Theologis figit, eruere ſtuduimus in eam ſententiam, quam paulo ante expoſuimus, ut nempe integer Iudæorum ſtatus ſpectetur, quo divinis Spiritus S. donis, prophetiis, miraculis &c. ingrati extiterunt, cæci, & obſtinati ad manifeſta, & aperta digiti DEI opera. Non itaque unicum tantum illud peccatum, quo eiectionem dæmonis invirtute Beelzebubi factam blaſphemabant, peccatum Iudæorum in Spiritum S. abſolvebat; ſed alia eius generis multa, tum gentis Iudaicæ inde a prima eius electione, tum eorum Iudæorum, qui præſentes aderant, ob quæ deſeri tandem meruerint, atque in hoc ſeculo, & futuro puniri. Peccatum autem eorum in Filium hominis erat, quidquid in Chriſtum, ut homo appa-

Iudæorum peccata in Filium hominis, & Spiritum S ex Actis Apoſtolorum oſtenduntur.

rebat, perpetrarant, quamdiu inter Iudæos fuerat converſatus: ſicut peccatum eorum in Spiritum S. omne illud, quod in divinas virtutes uſque ad eorum reiectionem criminati ſunt, & perfricta fronte, obcæcataque mente deliquerunt. Huius rei exempla in Actis Apoſtolorum habemus. Actorum enim ſecundo, poſtquam iam Apoſtoli Spiritu S. pleni linguis diverſis loquerentur, admirantibus Iudæis, PETRUS ſermone ad eos habito, quid in Chriſtum male egerant, obiectat. *His autem*, inquit ſacer textus a), *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine IESU Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* En peccatum Iudæorum in Filium, ad quod pœnitentia eluendum PETRUS hortatur. Act. VII. S. STEPHANUS Iudæis in memoriam reducit beneficia, & gratias, quibus Patres eorum, ipſique a DEO affecti ſint, quæ ſuſque deque habentes, ſua malitia ob-

a) Act. II. 37.

obduruerint, ſole clarioribus prodigiis nihil attenderint, in deterius ſemper prolapſi: poſt quæ auſcultemus quid dicat. *Dura*, ait a), *cervice*, & *incircumciſis cordibus*, & *auribus vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* & *occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu iuſti, cuius vos proditores*, & *homicidæ fuiſtis.* Dic ſodes, quid ſimilius, quid convenientius eſſe poſſit, quam iſta, iis, quæ non ita multo ante ex Evangeliis protulimus de peccato Iudæorum Prophetas perſequentium, & interimentium, qui Spiritu Sancto afflati, & ad eos miſſi aut futura prædixerint, aut mira patrarint, ut iſtis evidentibus ſignis, & portentis fidem facerent, & dignos pœnitentiæ fructus prolicerent, atque ad frugem revocarent, quibus omnibus ſpretis, peiores redditi ſint: cuius delicti menſura nimium accumulata, iuſtiſſime deſerti, & in hoc, & altero ſeculo pœnas dederunt. Quare nihil in hoc STEPHANI ſermone memoratur de pœnitentiæ fructu, ut in



a) Act. VII. 51.

ſuperiore PETRI ſermone: quod ibi de peccato in Filium hominis, hic de peccato in Spiritum S. agatur irremiſſibili: non quod veniam obtinere non potuiſſent, ſed quod pœnitere nollent, DEO impleta menſura gratiarum obſtruente fontem, ipſisque gratiæ reſiſtentibus, & contra illam animum obfirmantibus.

Pœna in hic, & altera vita.

VII. Neque vero dixerim ſolummodo Chriſti ſermonem intelligendum de generali Iudaicæ gentis derelictione; quæ utique ſingulariter pertinuit ad eos omnes, qui aut viſis externis ſignis, & miraculis, aut internis Spiritus S. ſuggeſtionibus animum claudentes, non crediderunt in Chriſtum. Hoc ſolum aio, præcipue Chriſtum univerſalem Judæorum deſertionem ſpectaſſe, quæ tam in præſenti, quam altera vita, pœnam apertiſſime habuit: *Et ideo,* ait S. THOMAS a), *dicitur ſecundum expoſitionem Chryſoſtomi, hoc peccatum Iudæis non remitti neque in hoc ſeculo, neque in futuro: quia pro eo paſſi ſunt pœnam, & in præſenti vita per Romanos, & in* futura

a) 2, 2. q. 14. art. 3. in ☉.

*futura vita in pœna inferni.* Locum ex CHRYSOSTOMO a) refert catena in MATTHÆUM, quem haud dubie præ oculis habuit S. THOMAS, eſt enim huic ſimillimus, ut conferenti patebit. Deſertio igitur in hac vita fuit pœna Iudæorum, tam exterior illa deſertio, & exciſio, quam interna gratiæ derelictio: in altera vero vita infernus, quæ ſic erit communis genti Iudaicæ, ut ſingulariter eos contigerit, qui animum ad dona Spiritus S. tam interiora, quam exteriora clauſerint. Quod, qui certo numero, & menſura fecerunt, ſupernaturali auxilio privari digni fuerunt: non quod converti non potuerint, ſed quod futurum non ſit, ut converterentur ob obſtinatum, & in malo obfirmatum animum. Quæ fuit pœna peccatorum priorum, & contemtus operum Spiritus S. ex propria animi malitia, & perverſitate, iure merito gratia ſubtracta, ante ſæpius reiecta, ſecundum numerum, & menſuram ſoli DEO cognitam. Quæ res eſt terrore plena, & cuiusvis animum concutere debet timore iudiciorum DEI in-



a) T. II. p. 439.

comprehensibilium, quia quotidie hoc contingere valet, & contingit, ut DEUS post reiecta ab homine, certa mensura, gratiæ dona, eius ubertatem contineat, & homo animum obduret, ut deinceps nunquam ad veram pœnitentiam perveniat.

Obiectio diluitur.

VIII. Huic nostræ interpretationi verba Christi adversari videntur, quæ unicum singulare peccatum aliquod, & blasphemiam præseferunt. D. AUGUSTINI sententia, quæ impœnitentiam finalem pro peccato irremissibili in Spiritum S. constituit, huic obiectioni adhuc magis obnoxia est, qui eam difficultatem non ignoravit, & solidissime diluit. Eius igitur verbis eam proponendam, dissolvendamque consultissimum est. Est autem eiusmodi difficultas: „Quia, ut verba
a „ AUGUSTINI a) habent, cum homo „ usque in finem huius vitæ in dura im„ pœnitentia perseverans (iuxta nostram explicationem certo numero, & certa mensura Spiritus Sancti dona repellens) „ diu multumque loquatur adversus „ hanc gratiam Spiritus Sancti, Evangelium

a) Serm. LXXI. in Matth. XII.

„ lium tamen tam longam contradictio-
„ nem cordis impœnitentis, quasi breve
„ aliquod verbum appellavit, dicens:
„ *quicunque dixerit verbum* &c. Hæc
„ enim quamvis prolixa ſit, & pluri-
„ mis verbis contexta, & producta blaſ-
„ phemia, ſolet tamen ſcriptura etiam
„ multa verba verbum appellare. Ne-
„ que enim unicum verbum locutus eſt,
„ quicunque Propheta, & tamen ſic le-
„ gitur: Verbum quod factum eſt ad
„ illum, vel illum Prophetam. Et Apo-
„ ſtolus: *Presbyteri*, inquit, *duplici*
„ *honore honorentur*, *maxime qui la-*
„ *borant in verbo*, *&* *doctrina.* Non
„ ait in verbis, ſed in verbo. Et S.
„ Iacobus: *Eſtote*, inquit, *factores ver-*
„ *bi*, *&* *non auditores tantum.* Non
„ ait & ipſe verborum, ſed verbi: quam-
„ vis tam multa verba de Scripturis
„ Sanctis in Eccleſia celebriter, &
„ ſolemniter legantur, dicantur, audian-
„ tur: ſicut ergo, quantocunque tem-
„ pore quisquis noſtrum in prædicando
„ laboraverit, non verborum, ſed ver-
„ bi dicitur prædicator, & quantocun-
„ que tempore quisquis veſtrum noſtram

„ prædicationem diligenter atque inſtan-
„ ter audierit, non verborum, ſed verbi
„ audiendi ſtudioſiſſimus nuncupatur:
„ ita eo more, quo ſcripturæ loquuntur,
„ & quam novit eccleſiaſtica conſuetu-
„ do, quisquis univerſa ſua vita, qua
„ iſtam gerit carnem, quantalibet longi-
„ tudine protendatur, quæcunque ver-
„ ba vel ore, vel ſola cogitatione locu-
„ tus fuerit corde impœnitenti contra
„ remiſſionem peccatorum, quæ fit in
„ Eccleſia, verbum dicit contra Spiri-
„ tum S.„ Quanto potiori iure verbum contra Spiritum S. certus aliquis numerus, & menſura peccatorum in dona Spiritus S. dici poteſt, quæ forte apud hunc paucioribus peccatis completur, apud alium pluribus, nemini niſi DEO noto numero, cum etiam ad finem uſque vitæ menſuram non plenam eſſe nihil referat. Hæc obiectio, cum tam ad Scripturæ expoſitionem, quam dogma catholicum pertineat, hic media collocari debuit, & veluti nexus utrumque inter eſſe. Quare iam ad dogma progrediendum.

CA-

## CAPUT IV.

### *Oſtenditur Eccleſiæ de peccato in Spiritum S. ſenſui, & doctrinæ congrua noſtra explicandi ratio.*

I.

Poſſe accidere poſt Iudæorum caſum, & accidere, ut ſe homines ſimili peccato in Spiritum Sanctum contaminent, nemini dubium eſſe debet: cum ipſa verba, quibus Chriſtus peccatum in Spiritum S. expreſſit, aliquid, quod non Iudæos tantum ſpectet, ſatis innuant, & Eccleſia ſemper inter varia peccatorum genera illud etiam de Spiritu S. numerarit. Quare videndum, num ea explicatio, & ſyſtema de hoc peccato, quod ad Iudæorum in Spiritum S. peccatum exponendum adhibuimus, ad dogma etiam commune, & generale quadret. In eum autem ſenſum explicuimus, eſt enim ſæpius repetendum, ut certam menſuram ſoli DEO cognitam donorum Spiritus S. Iudæi habuerint, qua completa, nec aliquid proficiente, addenti-

Peccato in Spiritum S. ſicuti Iudæi, ſic alii etiam ſe contaminant, nec clavium poteſtati aliquid inde detrahitur.

addentibus illis etiam cumulum peccatorum, si non equidem iam prorsus derelicti, ut resipiscere amplius non possent, modus tamen saltem donis & gratiis positus sit, atque de abundantia remissum, ut ad frugem non amplius fuerint redituri, destinata in utroque seculo pœna, hic derelictione, illic æterna damnatione. Non deesse enimvero etiamnum inter homines, *qui divitias bonitatis DEI, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt... Secundum autem duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizant sibi iram,* nimis proh dolor certa multorum constat experientia, qui cum oblatis a DEO donis, & gratiis minus respondent, atque in vitiis contabescunt, merentur a DEO etiam in hac adhuc vita largis illis gratiæ muneribus privari, suisque relinqui desideriis, eoquod Spiritum S. abiecerint, atque in se extinxerint, eius donis cominus sese opposuerint. Hi peccati in Spiritum Sanctum reos se faciunt, quod neque in hac vita remittendum sit, neque in altera vita; postquam divitias bonitatis DEI ultra modum, & mensuram contemserunt. Accidit autem non

divi-

divina operatione, ſed permiſſione ſecundum duritiam, & impœnitens cor hominis fores ſibi veniæ occludentis, & divinæ miſericordiæ obicem opponentis. Quamvis autem hoc peccatum neque in hoc ſeculo remittendum ſit, nihil tamen inde clavium poteſtati in Eccleſia relictæ quidquam detractum eſt: Fatemur enim nullum eſſe peccatum, quod Eccleſia non remittat, ſi modo pœnitenti corde eidem ſubiiciatur, ſed hi, de quibus ſermo eſt, pœnitentiæ dono ſe indignos reddiderunt, & adverſus eam animum obfirmarunt, eiusmodi autem fruſtra remittit Eccleſia peccatum, quando præcluſus pœnitentiæ, & animi contritioni aditus, quæ eſt neceſſario requiſita ad remiſſionem peccatorum conditio.

II. Non autem uno modo homo cor ſuum obdurat adverſus divinum pœnitentiæ in ſe ſuſcipiendum donum: ſed ſecundum ſex illas peccati in Spiritum S. ſpecies, quas eccleſiaſtica catecheſis diſtinguit, & explicat. Primum hoc contingit, cum nimia uſi in divinam bonitatem fiducia, ſubſidia ſalutis ſusque deque habemus, abiicimusque omnem iuſtitiæ, & timoris DEI

Recenſione ſpecierum peccati in Spiritum S. aliqua perſeverans in illis malitia oſtenditur, primo præſumtione.

DEI rationem. Talem nobis auctor Conſtitutionum apoſtolicarum a) deſcribit AMMONEM, filium MANASSIS. *Si quis,* inquit, *inſtructa veluti acie rebellis delinquat, tentans DEUM quaſi malos non inſectantem: huiusmodi venia carebit, licet ſecum ipſe dicat: Bene mihi ſit, ambulo in conſuetudine cordis mei pravi, qualis exſiſtit Amon, Manaſſis filius. Ait enim ſcriptura: & decepit ſe Amon mala cogitatione transgreſſionis, & dixit: Pater meus a puero multa inique egit, & in ſenectute pœnitentia ductus eſt: & nunc ego ambulabo, prout deſiderat anima mea, & poſtea ad Dominum me convertam.* Hunc vero in hoc, & in altero ſeculo pœnas dediſſe, hic morte temporanea, quæ ei tempus pœnitendi etiam abſtulit, illic æterna, mox ſubdit ſcriptura: *Et cito delevit eum Dominus DEUS ex terra eius bona, & irruerunt in eum ſervi eius, & interfecerunt eum in domo ipſius, & duos tantum annos regnavit.* Vide ad hunc locum COTELERII notam plura afferentem teſtimonia.

III.

a) Conſtit. Apoſt. L. II. c. 23. ſ. 236. T. I. Pat. Apoſt.

III. Altero modo praecedenti plane contrario cor adversus poenitentiam alii claudunt desperatione, vel veniae consequendae, vel in via salutis progrediendi, & ad optatum exitum producendae vitae christianae. Hoc peccati genere CAIN poenitentiam a se arcebat: itemque proditor IUDAS. De CAIN S. GREGORIUS a): *An non*, inquit, *in Spiritum S. Cain peccavit, quando dixit: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear? Et quia de venia desperavit, ideo dixit: Ecce eiicies me a facie tua. De quo & postea subditur, quod egressus sit a facie Domini. Vides quemadmodum ille, qui in desperationis foveam labitur, a facie DEI proiiciatur. Et Spiritum S. tuum ne auferas a me. Attende qualiter postulat, ne spem veniae post peccatum amittat.* Quis non videt, GREGORIUM agnoscere desperationem CAIN in hac etiam vita proiectionem a facie DEI poenae loco habuisse. Auctor tamen libri *de Poenitentia* inter opera S. AMBROSII b) hoc non sine cumulo, & mensura peccatorum factum aperte dicit: *Fidelem*, inquit,

Desperatione:

a) T. III. op. f. 502. Ed. Par. 1705.
b) Cap. VI. & VII. p. 394.

inquit, *veniæ locum tenet non infida con-
feſſio, & in tuto eſt pœnitens conſcientia, ſi
indulgentiæ remiſſionem non dubitet. At e
contrario peccati cumulus erigitur, ſi,
quod committitur, id negatur: quod in
facto Cain ſupra memoravimus, qui dum
putavit auctori ſuo facinus abnegare, ſe-
ipſum pœnæ non eſt permiſſus eximere,
ut conſcientia in facti atrocitate publicum
fruſtraret ei ex negatione fructum pœni-
tentiæ.* Recenſet deinde numerum pec-
catorum CAINI, quo veniæ ſe indignum
fecit. Proditorem IUDAM verus & ge-
a nuinus AMBROSIUS a) de pœnitentia a
DEI miſeratione non excludit, ſi facti
ſui pœnitens fuiſſet. *Arbitror*, inquit,
*quod etiam Iudas potuiſſet tanta DEI mi-
ſeratione non excludi a venia, ſi pœni-
tentiam non apud Iudæos, ſed apud Chri-
ſtum egiſſet.* Ultro hoc largior, ſed aio:
deſperatione ſua IUDAM pœnitentiæ ob-
ſtruxiſſe locum, ut licet remitti potue-
rit, remittendum tamen non fuerit. Si
enim venia non indignus fuiſſet IUDAS,
divina iuſtitia, & æquitas ea utique non
fraudaſſet: unde idem S. AMBROSIUS,
&

a) L. II. c. V.

& alii verba illa Chriſti ad IUDAM: *quod facis, fac citius*, ſic ſumunt, ut velint, Chriſtum, quæ etiam CYRILLI ſunt verba, quod iam inemendabilis tunc eſſet, eum dimiſiſſe. *Ubi ſatanas*, verba ſunt S. AMBROSII a) *immiſit in cor Iudæ*, a
*Chriſtus receſſit ab eo: momentoque eo, quo illum recepit, hunc amiſit; denique ſic ſcriptum eſt: Et poſt buccellam introivit in eum ſatanas: dixit ergo illi IESUS: quod facis, fac celerius. Quid illud, ut, quia introierat in illum ſatanas, ipſe abiret a Chriſto. Eiicitur itaque, & excluditur, eoquod iam cum Domino IESU eſſe non poſſit &c.* Et THEOPHILACTUS *Cum*, inquit, *neque data buccella emendaretur, tunc plane factus eſt ſatanæ, & traditus ei ut inemendabilis.* Quid clarius, quid expreſſius dici potuit in noſtram ſententiam? Quod lucem accendit ſimilis ſententiæ S. CHRYSOSTOMI b) verbis. *Tunc ſatanas in il-* b
*lum intravit eius deridens impudentiam; donec in choro fuit, non auſus eſt ingredi, ſed extrinſecus oppugnabat: poſtquam*

vero

a) L. II. de Abel. c. 4. T. I. 199. K.
b) Hom. LXXII. in Ioan. T. VIII. p. 423. E.

*vero ipsum Christus palam fecit, & segregavit, libere demum in illum insiluit. Neque enim, talis cum esset sine spe emendationis, decebat adhuc illum intus manere &c.*

Apertæ veritatis impugnatione:

IV. Tertio in Spiritum S. peccant, qui apertæ, & manifestæ veritati, fidei, & religionis catholicæ, aut præcipue donorum Spiritus S. repugnant. Posterioris peccati rei fuerunt Iudæi operibus Spiritus S. vilipensis, dæmoni tributis, ut supra pluribus prosecuti sumus. Ad priorem censum omnes pertinent illi hæretici, qui agnitæ fidei veritati refragantur, ex quibus paucissimi victas veritati manus præbent. Unde vero accidere hoc putandum est? Nisi quod pervicacia sua, & obstinatione divina illustratione se indignos præbent, mentem præcludunt, suisque in erroribus obdurant, quo tandem excæcati, videntes non videant. Exempla sunt in hæreticis, & persecutoribus Imperatoribus ex libro LACTANTII *de Morte persecutorum.*

Obduratione:

V. Quartum peccati in Spiritum S. genus naturam systematis nostri de peccato

cato hoc planiſſime repræſentat, cum nempe obfirmato in peccatis animo perſeveratur, nulliſque admonitionibus locus conceditur. Exempli loco PHARAO nobis eſſe poteſt, cui mors temporanea, & æterna pœna in hoc, & altero ſeculo obtigit, tantaque mentis obduratio adhuc viventem abripuit, ut nullis oſtentis monitus reſipiſceret, ipſeque DEUS ſe induraſſe cor PHARAONIS diceret, non utique cor induratum efficiendo, ſed gratiam ab immerente ſubtrahendo, ſine qua animum nunquam mutaturus erat.

VI. Quinto in Spiritum S. delinquunt, qui propoſitum pœnitendi omnino abiiciunt: hoc ſive de illa impœnitentia intelligas, qua uſque in finem in animi duritia perſiſtitur, ſive ea pro obſtinato animi conſilio nunquam pœnitendi interpreteris, niſi ad explicandi modum a nobis propoſitum recurras, impinges aut in naturam peccati in Spiritum S., aut in poteſtatem eccleſiaſticam remittendi peccata. Impœnitentiam enim finalem peccatum in Spiritum S. ſolum eſſe non poſſe, ſatis a nobis ſuperius prodi- Impœnitentia:

 tum.

tum. Unum vero non pœnitendi propositum, si ab eo absistat animus, & consilium mutet, Ecclesia certe remittere potest: restat igitur, ut de numero, & mensura interpretemur, qua DEUS pœnitentiæ donum concedit, homo autem impœnitentiæ actus accumulat, sicque paulatim mentem obdurat, & gratiarum ubertate se indignum præbet, ut quidem quamdiu in hac vita sit, pœnitere possit, non tamen id facturus sit ob impœnitens cor iusto iudicio non emollitum.

Invidia fraternæ charitatis.

VII. Eadem est ratio sextæ peccati in Spiritum S. speciei, quæ est invidia gratiæ fraternæ, ac dolor de splendore, & augmento donorum DEI, virtutumque, quibus aut Ecclesia, aut proximus fulget. S. AUGUSTINUS aliquando hoc invidiæ gratiæ fraternæ peccatum ad mortem illud esse asseruit, de quo IOANNES a) dixit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: libro autem Retractationum tunc peccatum istud ad mortem esse vult, si in hac perversitate finierit quis hanc vitam; causam addit: quod de nemine in hac vita desperandum sit: pro eo autem recte orari, de

a) Ep. I. c. 5. v. 16.

quo

quo non desperetur. Quo nihil certius mihi etiam est; aio enim ignorari ab hominibus, quousque gratiarum suarum abundantia adsit, hinc cum timore, & tremore salutem operari quemque debere, ne, si diutius divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis contemserimus, pœnitentiæ locum non inveniamus, ob animum in malo ita obfirmatum, ut, cum possit emollescere, hoc tamen in pœnam futurum non sit. Primus hoc peccatum Cain peccavit, ob idque relinqui a Deo meruit, & desperavit: fuit enim duplex in Cain peccatum in Spiritum S. sed hoc radix alterius, fons, & origo ruinæ, & desperatæ illius salutis, quod fratri inviderit gratas apud DEUM victimas, unde livore ductus eum occidit, ac maiorem hanc desperando putavit iniquitatem suam, quam ut veniam mereretur. Inferius patebit, quotquot in Ecclesia DEI aliquando caput erexerunt schismata, ab invidia donorum DEI in fratribus ac Ecclesia ortum habuisse. Contigit etiam hoc fere, quo hæc scripsi, tempore deplorandum huius peccati exemplum in Sacerdote quodam

patriæ noſtræ huiuſce, qui incontinentia abreptus apoſtata a fide factus, dum extremum Spiritum ageret, deſperabundus confeſſus eſt, ſibi ſalutem iam aſſequi non amplius integrum non alias ob cauſas, quam quæ peccati in Spiritum S. hanc ipſam, de qua nobis modo ſermo eſt, ſpeciem conſtituunt: 1.ma quod ſcorto ſuo in agone abſolutionem flagitanti denegarit. 2.da quod perſonæ cuipiam ad mortem damnatæ, quam prius ſub ſpe redimendæ vitæ a fide catholica ad hæreſin pellexerat, dum carnifex inſiſteret, illaque Sacramentum pœnitentiæ, abſolutionisque peteret, item non conceſſerit.

Peccatum in Spiritum S. vix aliquando unicum in utroque ſeculo puniri, ipſaque nomina habitum aliquem peccandi præſeferre.

VIII. Patet ergo per ſingulas peccati in Spiritum S. ſpecies optime omnia quadrare, ſi ad eum modum, quem non ſemel iam explicuimus, res tranſigatur, non ad unum aliquod peccatum reſtringendo, ſed cumulum, numerum, & menſuram ſtatuendo. Quare quæſitu dignum cum D. THOMA complures Theologi exiſtimarunt: utrum homo poſſit primo peccare in Spiritum S. quod abſolute fieri poſſe dicunt, ſed vix con-

tin-

tingere. Nemini enim consilium DEI notum, qui plerosque diutius ad poenitentiam exspectat, ut tamen ob unicum peccatum iuste gratiarum fontem claudat. Potissimum tamen diu peccatorem praestolatur divina clementia, nec quemvis praesumtionis, desperationis, aut impoenitentiae actum in utroque seculo punit. Cum ipsae hae voces, & nomina habitum potius, ac chronicum morbum indicent. Quid enim est praesumtio, nisi voluntatis securitas habenas cupiditati relaxans, remissionem promittens, etiamsi longo tempore in peccatis nos volutemus, reiiciamusque intus pulsantem Spiritum S.? Quid desperatio, obduratio animi, impoenitentia, quam voluntatis affectio poenitendi propositum abiiciens, quod aut spem illius deponamus, aut animum eidem obstruamus, aut studium illius negligamus: quae habitum animi fixum, annosam, inveteratamque voluntatis pertinaciam, ac veluti callum designant.

## CAPUT V.

### *Ex sanis, & assertis Theologiæ principiis declaratur systema peccati in Spiritum S.*

I.

**Perversæ de divinis perfectionibus opiniones:**

Videndum iam etiam est, an, & qua ratione nostra de peccato in Spiritum S. explicatio, & systema cum principiis sanæ Theologiæ conveniat: cum nihil proclivius sit, quam hic impingere, & noxiæ in Theologia opiniones de DEO, rebusque divinis multo plus, quam passim existimetur, ad contrahendum peccatum hoc conferant. Quid sanctius, & salutarius divinorum attributorum meditatione? Attamen fere contingit, ut modum excedendo, nec scite inter se conciliando perfectiones DEI summas, peccato in Spiritum S. sese constringant perversi. Funesta hodie docet experientia, Atheos, & Deistas potissimum abduci, ut agnitæ veritati tam perspicue per lumen rationis, & revelationis innotescenti de DEI existentia, & providentia resistant; quod modum non capiant,

piant, quomodo infinitæ divinæ perfectiones in ſe, & operibus naturæ, providentiæ, & gratiæ conſpirent: infinita bonitas exempli cauſa, & iuſtitia quomodo ſecum conſiſtant, & maxime cum iſta in rebus bonorum malorumque mixtione.

II. Doctrina de natura, & gratia hic maximas patitur difficultates: quive errores circa has res varii obtinent, omni generi peccati in Spiritum S. incautos, & impios exponunt, ut aut nimium de gratia præſumant, aut deſperent, aut eius luci mentem claudant, ſive intellectui affulgeat, agnitæ veritati reſiſtendo: ſive voluntatem afficiat, ei cor obdurando: ſive alios ſpectet, eam illis invidendo: ſive ad ſe pertineat peccatis conſtrictos in impœnitentia perſeverando. Hæc ſolent in praxi multo ſæpius contingere, quam ſoleant peccato in Spiritum S. adſcribi, aut pro tali agnoſci. Oriuntur autem peſſimæ mentis, & cordis affectiones ex perverſa de divinis perfectionibus perſuaſione, prout ſeſe in operibus naturæ, providentiæ, & gratiæ exerunt radii Divinitatis, nec recte

**Nec non de natura, & gratia facile peccatum in Spiritum S. inducunt.**

considerantur; atque hinc errores primum in mente oriuntur, postea etiam voluntatem, & actiones inficiunt, corrumpuntque, ad consummandum peccatum in Spiritum S. Perversas mentes doctrinæ alioquin sanæ in transversum agere queunt. Si qui divinam potentiam ut extollant, salutem ab immutabili, & absoluto decreto dependere, & iuxta id in tempore absoluta potentia evenire in animum inducunt, curam vero salutis, usumque facultatum suarum, ac mediorum intermittunt, prout magis vel in divinam iustitiam, vel misericordiam vergit, ac defigitur consideratio, aut in desperationem, aut præsumtionem trahit. Sic igitur, ut ex persuasione de prædestinatione æterna maxime absoluta ita afficiatur homo fieri potest: dum secum ratiocinatur aut e numero sum electorum, aut non sum: si ita, fieri nequit, ut a salute excidam; si non sum, nullo meo conatu salutem adipisci potero. Hinc ergo in negotio salutis, cura, & sollicitudine deposita quis, ex DEI decreto potenti secundum iustitiam, aut misericordiam conformato, aut præsumit,

aut

aut desperat, cor obdurat, pœnitentiæ opus, ac spem deponit, & sibi in animum inducit, quodsi decretum sit dare gratiam, & perseverantiam finalem, quantumcunque ita aliquis obbrutuerit, & induratus fuerit, fore emolliendum. Addat præterea perversus CALVINI de certitudine prædestinationis, & inamissibilitate gratiæ doctrinam, & prout in partem deflexerit animum, peccato in Spiritum S. obstrictus hærebit, omnibus vitiis frena forte laxans. Idem in Iansenismo, quem vocant, practico, Rigorismo inquam, & ei apposita nimia indulgentia, dici potest, facile in desperationem, aut præsumtionem abducere: sicque vel erroneæ, vel etiam innocuæ opiniones præsertim de gratia, & prædestinatione, in perversam partem tractæ, concordia attributorum divinorum non retenta, præcipitem agere possunt.

III. Hæc ergo caute sunt tractanda, ne tamen veritas reticeatur, aut dispendium patiatur, neve in unam partem magis declinando ex altera parte periculum immineat. De spe hic potissimum agitur, & fiducia in benignum Numen.

Dum aut non satis, aut nimium fiducia in gratiam divinam concipitur, quasi

nunquam deficiat. a

Recte vero S. AUGUSTINUS a) *Ex utroque*, inquit, *homines periclitantur*, *&* *sperando*, *&* *desperando*. Pronum est itaque, ut, dum spem inculcamus infinitæ divinæ misericordiæ, in præsumtionem inclinetur mens, aut si iustitia DEI exaggeratur, in desperationem agatur. Et tamen constat DEUM utrumque, & gratiam, benignitatemque suam largissime profundere erga genus humanum, qui vult omnes homines salvos fieri, iuxta PAULUM Apostolum. Nihilominus fides, & experientia nos docet, gratiæ thesauros non omnibus proficere, iisque iustis de causis a DEO sæpe privari homines, atque in mala omnia, & scelera pronos ire, excusso omni timore. Sæpius in Scripturis divinis funesti huiusmodi casus consilio Numinis tribuuntur: sed sane hæc sunt interpretanda, quatenus DEUS permittit, sinitque pravitatem humanam in præceps abire, non removendo illecebras & irritamenta, subtrahendo gratiam indebitam, atque ex iustitia negandam: quando tum homo sibi relictus semper in peius ruit. Aliquando

a) Tract. XXXIII. in Ioann.

quando in medicinam, alias tamen etiam in vindictam cedit iſta deſertio, unde duplex ſolet diſtingui. *Duplex eſt*, inquit S. Io. DAMASCENUS a), *derelictio, eſt enim derelictio diſpenſativa quidem, & eruditiva ad correctionem, ſalutem, & gloriam: finalis vero derelictio eſt, ubi DEUS omnia ad ſalutem neceſſaria fecit, inemendabilis, immedicabilis, magisque inſanabilis ex proprio propoſito homo permanet: tunc enim traditur in finalem perditionem ut Iudas.* Aperte S. Doctor hæc ita accidere miſero peccatori ex proprio propoſito dicit: ſed quæſtionem eam non attingit, an divinæ gratiæ lux apud huiusmodi proiectos homines vel penitus extinguatur, vel debiliter ſaltem luceat. Sed quoad effectum funeſtum perinde eſt. Imo magis conſtringit ſcelere, & peccato, quo maiori, diuturniorique gratiæ fulgori oculos clauſerint. Et licet ſcripturæ inceſſanter ingeminent DEUM hominibus adeſſe, & gratiæ lumen undequaque diffundere; ſæpius tamen etiam ſubtractionem luminis, & excæcationem minitatur, & iuſtitiæ vindicta

a) De fide Orthod. L. II. c. 29.

dicta non minus, quam misericordiæ viscera commemorantur. Est quidem pia, in DEO voluntas erga hominum salutem, sed malitia, & perversitate sistitur, divinaque impellitur iustitia, ut parata divina bonitate omnibus gratiæ auxilia non semper impendantur. Potissimum divinam nemesim hic experiuntur, qui sæpius abutendo gratia ad licentiam, & contemtum Numinis tradi in reprobum sensum meruerunt, quo pacto posteriora peccata fiunt pœnæ præcedentium, & neglectus gratiæ sæpius concessæ causa fit iusta eam subtrahendi.

Ex hominum culpa, quos non deserit Deus, nisi prius deseratur.

IV. Pro asserto tenendum, DEUM nihil mali physici homini immittere, aut morale permittere, nisi in pœnam peccati, deserendo iusto iudicio hominem, cum prius deseratur. Quæ est constans S. Augustini doctrina: atque iure contraria inter quinque propositiones Iansenii est proscripta sententia, qua iusti, & iniusti excæcati eadem concluduntur sorte, quod quandoque impossibilia ob defectum gratiæ sint præcepta, desitque eis gratia, qua possibilia fiant. Cum in Iansenii libris de iustis æque, atque ex-

cæcatis

cæcatis universalis haberetur assertio, aliquando eis deesse gratiam, qua præcepta eius possibilia fiant; pars de iustis damnanda est visa, intacta altera. Subtrahitur in pœnam peccati gratia, quibus vero datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. Ut autem imputetur peccatum deficiente gratia perpetratum, sufficit, quod collata aliquando, ac oblata fuerit gratia, vel cur non detur, causa subsit, ac culpa peccatoris, cui integra manet semper libertas, qua sponte eligit malum, deestque gratia ipsi volenti, & libere ponenti impedimentum, ac illius subtrahendæ causam. Quamvis autem fidelibus justis semper saltem gratia remota adest orandi, nisi ei obicem ponant, superbe de se præsumentes, nec humiliter gratiam implorantes; idem tamen non etiam de peccatoribus præsertim obcæcatis, obduratisque dicitur, ut illis omnibus, & semper aspiret gratiæ aura, quam acceptam respuerunt, & sese indignos ea reddiderunt. Vult quidem DEUS, ut sese convertant peccatores a via prava, & mentis cæcitatem ac tenebras depellant;

sed

ſed oculos claudentibus, corque obdurantibus non fruſtra gratiæ ſuæ lumen impertit, quo mens illuſtretur, ac voluntas moveatur delectatione ſancta ſemper, & omni momento, quin unquam deſerantur: unde obduratio gratiæ emollientis ſubtractionem ſequitur, cuius ipſi peccatores ſunt cauſa, cor durum cupiditate, & aſſiduitate peccandi præbentes, atque toties affulgenti divinæ gratiæ reſiſtentes, mentemque claudentes, ac obfirmantes, ut plerumque, quo maior fuit gratiæ vis ſpreta, eo maiores tenebræ ſequantur, ſi impleta menſura DEUS tandem aliquando deſerit.

Et hinc iure imputatur illis gratiæ amiſſio.

V. Cum ſe homo libere talem in ſtatum proiecerit, atque in eo pravas actiones committat, dubitari nequit, quin imputentur, etiamſi obduratus, ac impœnitens peccator affluxum gratiæ non percipiat, quo deſtitutus morali impotentia, cupiditate, & pravis habitibus, ipſaque maxime obduratione gravatus non queat emergere. Quod autem gratia deſit, propriæ cæcitati, & malitiæ eſt tribuendum, cui obnoxii tales homines indigni ſunt gratia, præſertim tanta illius

vir-

virtute, quanta eo maior requireretur, quo eſt maior obſtinatio, & duritia cordis: qua nihil obſtante legem libere violant, novumque reatum culpæ, ac pœnæ peccatis ſuis contrahunt. Nec ad hoc requiritur actualis malitiæ advertentia, ut defenſores peccati philoſophici contendunt, ex illuſtratione, & motione gratiæ: alias enim obduratiſſimi quique, & excæcatiſſimi homines, qui omnem prorſus pietatis ſenſum ex animo proiecerunt, melioris conditionis forent, quam timorati adhuc homines cum conſcientiæ remorſu forte in peccatum prolabentes, cum illis pro gradu obdurationis imputatio peccati magis & magis remitteretur, imo ſi ad ſummum pertigiſſet excæcatio, penitus culpa impietas vacaret: & ſic maximum ex perverſitate ſumma, & malitia ſentiret commodum: quod quam ſit abſurdum, & indignum, imo quam Pelagianum, nemo non videt. Quam ergo aſperum videatur aſſerere, eiusmodi abiectæ ſpei homines omni privari gratiæ inſpiratione etiam remotiore, quo mandata implere, & ſalutem æternam conſequi queant;

con-

concedi tamen debet, ſi gratia aſpirare ſemper dicitur, & perverſi nihil advertunt, aut moventur, tantum graviorem eorum fieri culpam, & deſperatiorem cauſam. Ut adeo, qui contrarium tenent, tenueruntque Sancti Patres, & inſignes Theologi, nihil ab humanitate alienum, & ad talium hominum damnationem aggravandam comparatum aſſeruiſſe dici poſſint, nec idcirco libertati aliquid detraxiſſe, quæ utique ſicuti cum gratia, ita etiam ſine gratia ſalva manet.
a *Mihi quidem profecto*, ait a) PETAVIUS, *inſulſum, & abſurdum videtur, iis hominibus, qui alieni ſunt a Chriſti gratia, liberum ineſſe voluntatis arbitrium ob id negare, quod vel boni nihil ſuſcipere poſſunt, vel eius ſaltem boni, quod naturæ ſuperat captum: ex eoque colligere determinatam, & uni alicui ſic alligatam voluntatem, ut indifferentiam non habeat. Quid enim? non ſaltem eo ipſo habet ancipitem, indifferentemque motionem, quod vel in malis unum quidem optare poteſt e pluribus: vel cum iſtis naturalia bona, & honeſta comparare?*

a) De Opificio DEI. L. IV. c. 9. n. 3.

*rare? quod ad electionis, arbitriique ſuſpenſionem, hoc eſt libertatem ſufficit.* Quodſi autem conſideremus, defectum ab hominis culpa eſſe, obicem ponentis gratiæ, quivis intelliget, ſicut libertati non obeſt, ita hominis culpæ penitus adſcribi debere, & divinæ iuſtitiæ arcana nos hic revereri debere, non curioſius rimari. *Sic enim,* cum S. AUGUSTINO a) optime concluditur, *excæcat, ſic obdurat DEUS deſerendo, & non adiuvando: quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* a

VI. Non vereor dicere, divinam contuens ſapientiam, qua iuſtitiæ rigorem temperat ſemper ſua bonitate, etiam tremenda iſta ſeveritate mitius cum deſperatis hiſce, & obduratis agi, quam ſi præſentanea ſemper affulgente gratia, non ablato indurationis gelu, contemti Numinis ſemper eo magis & magis rei evaderent. Haud ſecus ac cum illis accidit, quos DEUS in ipſo peccatorum curſu, vel morbo, vel alio fatali caſu, qui iudicium rationis prævertit, improviſo, nec relicto pœnitentiæ ſpatio, ex

Quomodocunque illa fiat.



a) Tr. LIII. in Ioann.

hac evocat vita in pœnam præcedentium peccatorum. Quibus utique omnem omnino demit gratiam, qua ſalvi eſſe poſſint; ut negari non debere videatur, certos dari caſus, & circumſtantias, in quibus obduratis divina deeſt gratia, & miſericordia, quo in melius convertantur. *Obduratio DEI*, inquit S. AUGUSTINUS a), *eſt nolle miſereri, non ut ab illo irrogetur aliquid, quo homo ſit deterior, ſed tantum, quo ſit melior, non irrogetur.* Quod utique intelligi debet de ſingulari illa obduratione, qua omnis negatur gratia, cuius non quævis ſubtractio poteſt induratio dici. Theologi etiam aliud excogitarunt diſcrimen deſertionis a gratia, vel ad præcepta implenda, vel ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ac ſi prioribus nunquam penitus deſtituatur induratus, nonnunquam vero poſterioribus. Quod quidem ipſum ſatis eſt ad ſuſtinendum peccatum in Spiritum S., quod nec in hac etiam vita remittatur. Nec obeſt quod obſervatio mandatorum ſit cum remiſſione peccatorum coniuncta: id enim veriſſimum eſt,

ſi

a) Ad SIMPLIC. L. I. q. 2.

ſi reipſa efficax gratia operetur obſervantiam, non vero ſi, quæ dicitur ſufficiens, tantum potentiam det operandi. Igitur etſi hic ſubſiſtendum exiſtimetur, neque remota hæc enitendi e miſero ſtatu potentia cenſeatur neganda, qua poſſet quis induratus, niſi abuteretur gratia ad præcepta implenda, etiam ad remiſſionem peccatorum aſpirare; id tamen dum negligit, meretur in pœnam gratia illa, ad remiſſionem peccatorum pertinente, privari poſt cumulum peccatorum, & impletam menſuram reiectarum gratiarum: ut adeo irremiſſibile tunc ſit peccatum, quia DEUS Spiritum pœnitentiæ negat, atque induratis cor lapideum non aufert. Hoc S. Augustinus de Corozaitis concedit, quod potuerint credere, atque adeo non fuerint omni interiore gratia penitus deſtituti; at non crediđiſſe, quia DEUS cor lapideum noluit auferre. Obſtinatiſſimis Iudæis exprobrat S. Stephanus: *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis.* Tunc enim adhuc per Evangelii prædicationem Iudæi gratias experiebantur, quæ per momenta, & tempora DEUS diſtribuit, quomodo æquum & oppor-

tunum iudicat. Atque mitiſſimi quique
Theologi largiuntur, obduratis ſaltem
non omni momento affulgere gratiam.
Quæ utique cum ſit actualis mentis il-
luſtratio, ac motio voluntatis, ſeu in-
a ſpiratio charitatis, *Quomodo*, inquit a)
Bellarminus, *fieri poteſt, ut non ſen-
tiatur in nobis, ſi ſit non ſolum in nobis,
ſed etiam a nobis.* Quomodo enimvero
ſentiatur ab excæcato, & indurato, cuius
inde eſt denominatio, quod mens cæca,
& dura haud magis lumen admittat, quam
lapis, aut res quælibet viſu carens, &
lucem non admittens? Unde recte S.
Thomas ſolis hic utitur comparatione:
b *Qui*, ſunt verba illius b), *licet quantum
eſt de ſe omnia corpora illuminet, ſi quod
tamen impedimentum inveniat in aliquo
corpore, relinquit illud tenebroſum.* Quod
dum fit, utique lux non penetrat, &
cor non tangit. Tantum quæſtio eſt, an
in pœnam tanti contemtus gratiæ, etiam
lux illa aliquando ſubtrahatur: hoc eſt,
an DEUS, dum deſeritur, etiam deſe-
rat? quod infinitis locis S. Augustinus,
&

a) De grat. & lib. arb. L. II. c. 6.
b) L. 2. q. 79. art. 3.

& alii Doctores ſtatuunt. Nec dubium eſt, apud DEUM eſſe ſtatutum peccatori pœnitentiæ, & converſionis certum tempus, ſi non, quod converti amplius nequeat, & emolliri; certe quod fixus ſit terminus quaſi fatalis, quo elapſo nunquam amplius ſit reſipiſciturus, aut acturus pœnitentiam, ac conſequenter nec remiſſionem adepturus.

VII. Probe in hac hominum fece poſitiva a negativa eſt diſtinguenda cauſa, voluntas perverſa, quæ impedimentum ponit divinæ gratiæ, &, ut tandem deſeratur, meretur: dum excæcata mens lumen divinum non recipit, atque obdurata voluntas pertinaciter malo inhærens nec minis, nec monitis locum præbet; hinc non ſolum pœna peccati eſt, ſed etiam peccatum horrenda in malo voluntatis pertinacia. Fit in tali homine, quod tempore hyemali longius recedente a nobis ſole accidere videmus, ut terra gelu conſtringatur, & obduretur, unde friget, & obrigeſcit, ut nihil ſit quod emolliat, & liquefaciat abſente divinæ gratiæ ſole. *Cor durum ipſum eſt,* inquit

Dum ipſi homines in cauſa ſunt, & cor claudunt.

a inquit S. BERNARDUS a), *quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina.* Atque ita semper in malum profundius demersum magis a gratia remotum fit, eaque indignum sese amplius
b redhibet, ut mirum non sit, b) si iterum non redeat. Theologi quique profundissimi hanc tenent sententiam, omnes autem eam ab erroris suspicione liberant, licet caute eam prædicandam iure suadeant. Cum enim de nemine in hac vita constare nobis possit status eiuscemodi, nulli etiam maximo peccatori obiici potest, atque spes omnis salutis adimi, ne quis desperet: quamvis taceri non debeat, quam sit pessimus excæcationis, indurationisque status, ut quisquis in eum deiectus sit, & sepultus, æternam damnationem haud sit effugiturus, nisi ab eo emerserit per divinam gratiam.

Hac

a) L. I. de consid. c. 2.

b) Vid. Laurent. BERTI de Theolog. disciplinis Lib. XVIII. c. 8.

Hac ratione desperationis, & præsumtionis extrema sunt declinanda gravissima, & irremissibilia in Spiritum S. peccata: dum quis diffidit de venia, aut nimium confidit, post cumulum licet peccatorum maximum, & reiectarum gratiarum mensuram coacervatam; cum DEUS quidem omnibus pœnitentibus, & ad frugem redeuntibus promiserit veniam, sed non ultra tempus, & modum exspectet, aut promiserit gratiam, imo eam sese ablaturum comminatus sit. *Si mihi legis*, sunt verba S. AUGUSTINI a), *de libro sancto, sicut indulgentiam tibi promissam esse converso, sic tibi promissum crastinum diem, differ ad crastinum. Prorsus quando te converteris, dabit: sed ipsum quando, quando est?* Hic sese peccata in Spiritum S. produnt, quæ specialiter contra DEI bonitatem, & eius dona, quibus declinamus a malo, & facimus bona, pugnant ex abjecta spe salutis, divina bonitate nobis facta, obdurato, & impœnitenti corde, aut desperando, aut præsumendo de divina misericordia in seipso, aut eam aliis in-

 viden-

a) Serm. XXI. ed. nov.

videndo, fontem divinæ gratiæ, atque veniæ locum claudendo,

Ut Deus tandem eam subtrahat exigente iustitia.

VIII. Cum vero longanimis, & multæ misericordiæ sit Dominus, & nemo repente fiat pessimus, plerumque longo peccatorum tractu, & habitu, atque copiosorum gratiæ munerum neglectu, despectuque huc tandem pervenitur miseriæ. Nexus causarum tum naturalium, cum moralium unum post aliud trahit peccatum, atque præcedentia subsequentium sunt causa peccatorum. Divina etiam gratia prius neglecta, postea parcius fluit, & iusto iudicio priora posterioribus puniuntur peccatis, donec tandem cumulus ille accrescat, & mensura reiectarum gratiarum, atque habitus, & veluti altera natura evadat consuetudo peccandi, vix, aut nunquam exuenda. Quod idcirco monendum, non ut homines desperent, & pœnitentiæ curam obdurati deponant, sed ne præsumtuoso ausu differant, peccata accumulent, & vitiosos habitus magis, ac magis implicent; quibus sese exsolvendi extra ordinario opus sit auxilio, eo minus sperando, quo sæpius prius spreta sunt gratiæ munera,

ac

ac Spiritus S. dona, peccato in Spiritum
S. irremiſſibili. SALVIANUS a) huc op- a
portune illud ISAIÆ explicat: *Ecce omnes
vos ignem accenditis, & vires præbetis
flammæ. Ingredimini in lucem ignis ve-
ſtri, & flammæ, quam accendiſtis.* Quod
ita vulgatus habet: *Ecce vos omnes ac-
cendentes ignem, accincti flammis, am-
bulate in lumine ignis veſtri, & in flam-
mis, quas ſuccendiſtis.* Ita autem SAL-
VIANUS b): *Totum namque humanum* b
*genus hoc ordine in pœnam ruit, quo
ſcriptura memoravit. Primum enim
ignem accendit; poſtea vires ignibus præ-
bet, poſtremo flammam ingreditur, quam
paravit. Quando igitur primum ſibi ho-
mo æternum accendit ignem? ſcilicet cum
primum peccare incipit. Quando autem
vires ignibus præbet? cum utique pec-
catis peccata cumularit. Quando vero
ignem æternum introibit? quando ir-
remediabilem iam malorum omnium ſum-
mam creſcentium delictorum nimietate
compleverit, ſicuti Salvator noſter ad Iu-
dæorum principes ait:* Implete menſu-

 ram

a) Iſa. L. 11.
b) De gubernatione DEI. L. IV. c. 8.

ram patrum veſtrorum, ſerpentes, & progenies viperarum. *Non longe a plenitudine peccatorum erant, quibus ipſe dicebat Dominus, ut peccata complerent. Ideo abſque dubio, ut quia digni iam ſalute non eſſent, implerent iniquitatum numerum, quo perirent. Unde etiam cum lex vetus peccata Amorrheorum completa eſſe memoraſſet, ſic locutos eſſe ad ſanctum Loth Angelos refert: omnes* &c. Fefellit hic SALVIANUM memoria, qui fata Sodomitarum, & Gomorrhæorum cum Amorrheis confudit: ſed Amorrheorum exemplum maxime appoſitum eſt. Promiſerat DEUS ABRAHAMO Gen. XV. 15. &c. Generatione quarta demum reverſuram ſuam progeniem in terram promiſſam: *Nec dum enim,* addebat DEUS, *completæ ſunt iniquitates Amorrheorum ad præſens tempus.* Hinc longanimitas DEI elucefcit: ſimul etiam patet, non Iudæos tantum, ſed alias etiam ante eos gentes eandem eſſe expertos ſortem. Unde & formido merito mentes pulſare debet, & inceſſere, ne cumulo peccatorum, & gratiarum reiectarum eadem funeſta maneat ſors citius quemquam

pri-

privatum, quam integras gentes, etiam in lege gratiæ, quæ utique primum Iudæis destinata, & annunciata fuerat manifestissimis signis, & operibus Spiritus S. Huic vocationi respondent media quæcunque salutis: quibus hodieque, ac semper DEUS operatur salutem, quæ dicuntur Spiritus S. opera, ut, qui ea reiicit, in Spiritum S. peccet, peremtoria autem est præsertim reiectio doctrinæ evangelicæ proterve, & constanter, & per blasphemiam. Quantumvis enim atrocia sunt, quæ quis committit, quamdiu media salutis non penitus abiicit, spes superest: quamvis iusta formido merito quemvis donis Spiritus S. abutentem, illisque mentem obdurantem incessere debeat: cum ex sententia Theologorum vix pereant, quotquot pereunt, quam hac pœnali cæcitate, & obduratione mentis, ac impœnitentia.

IX. Ista ratione constat, quomodo peccatum in Spiritum S. sit, ac dicatur irremissibile, cum tamen, ut inquit S. AUGUSTINUS a), omnipotenti medico nullus morbus sit insanabilis, nec peccatum

Et sic felicitate sua privantur in hac iam vita summi boni abiecta considératione pec-

a) In Ps. C.

cato in Spiritum S.

tum aliquod tam grande existat, quod Ecclesiæ clavibus subiectum legitime non remittatur. Nimirum, ut rem explicat S. THOMAS, corporalis morbus per se sanabilis tum curari non potest, cum phreneticus non admittit salubria media. Qui sic peccat, *humilitatem deprecandi non subit*, ut S. AUGUSTINUS a) habet, *nec spe veniæ, nec timore pœnæ movetur ad pœnitentiam.* Sed vel præsumtione effertur, vel desperatione deiicitur, obduratque animum, ac cor omnibus salutaribus mediis; nec monitis, nec exemplis aliorum trahitur, eorum etiam gratiæ invidet, & obstinato animo resistens veritati pœnitentiam non admittit, sine qua nullum remittitur peccatum. Quæ summa est hominis infelicitas, eum a summo bono, fineque ultimo avertens. Quod cum quidem quolibet peccato mortali fiat, quamdiu tamen spes revertendi per pœnitentiam, & remissionem adest, felicitas desperata non est. Secus contingit in peccato in Spiritum S., quod non remittitur ex Christi sententia neque in hoc seculo, neque in futuro, ut adeo

a) L. I. de serm. Domini in monte.

adeo homo in hac iam vita æternum incipiat esse infelix. Non quod in via esse desinat, qua ad patriam, felicitatemque æternam pergimus, sed quod ipse sibi viam obstruat, & claudat, qua ad summum bonum, ultimumque finem itur, conversione ad DEUM, consideratione, & participatione divinarum perfectionum: qua in hac vita summo bono coniungimur, radiis Divinitatis in operibus naturæ, providentiæ, & gratiæ relucentibus, summasque divinas perfectiones manifestantibus, præsertim autem in operibus gratiæ a nobis considerandis, & participandis ad remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Quamdiu ergo mens erecta in hac luce, ac radiis, DEI misericordiam, & iustitiam contemplatur, nec per excessum præsumendo, aut per defectum desperando, spei mediocritatem deponit, etiamsi per peccatum contingat a fine ultimo deficere, per pœnitentiam reditus patet, dum spes in infinitam divinam misericordiam ponitur, nec tamen iustitiæ consideratio abiicitur, ut de divina misericordia ini-

que

que præſumatur: nec ex adverſo ita infinitæ iuſtitiæ inhæreat mens, ut miſericordiæ nulla amplius ratio habeatur; unde deſperationem exſurgere neceſſe eſt, qua ſpes deponitur reditus ad ultimum finem, & ſummum bonum, quod ſe ipſum conſtituit, ac offert nobis DEUS, præmium, & beatitudinem noſtram; niſi nos ipſos ab hoc incommutabili bono avertamus, nec averſi per pœnitentiam revertamur; ut faciunt in Spiritum S. peccantes radiosDivinitatis nec recte contemplantes, nec participantes oblatos in operibus gratiæ ad felicitatem nobis promiſſam, & non obſtante ſpontanea averſione a ſummo bono per peccatum amiſſam iterum recuperandam; ſi inter ſpem, & metum hinc miſericordiam, illinc iuſtitiam reſpiciamus, citra præſumtionem, & deſperationem, ſalutem operando, & de peccatis pœnitentiam agendo, ne *ſecundum duritiam*, *& impœnitens cor* theſaurizemus nobis *iram in die iræ, & revelationis iuſti iudicii DEI, qui reddet unicuique ſecundum opera eius.* Quod in hac etiam vita iam experiuntur, qui peccatum in Spiritum S. conſum-

ſummarunt, a fine ultimo averſi, nec reverti ſtudent per pœnitentiam ad ſummum bonum, quo noſtra conſiſtit felicitas in hac vita cognitione, & participatione radiorum Divinitatis, in altera contemplatione, & fruitione ipſius Divinitatis.

X. Igitur in ſpe eſt hic felicitas, quæ nobis in regno, operibusque gratiæ ampliſſima eſt propoſita, niſi peccatis noſtris, atque contemtu oblatæ nobis gratiæ eam amittamus, quam alias tuto, & certo ſperare licet. Noſtra ergo bona vel mala conſcientia res agitur, ſtat, caditque ſpes felicitatis noſtræ. Unde ſpei nomine conſcientia venit, & iuxta S. AUGUSTINUM a) etiam Apoſtolus pro ſpe bonam conſcientiam poſuit. *Ille enim*, ait S. Pater, *ſperat, qui bonam conſcientiam gerit: quem vero pungit mala conſcientia, retrahit ſe a ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam.* Optime hoc dicitur, ſi recte cum ſpe ſpectetur conſcientia. Si enim conſcientia

Torquente, aut obdormiſcente mala conſcientia, & ſpem præſcindente.

a

a) Conc. II. in Pſ. XXXI.

tia sine spe sit, desperatio est, si spes sine conscientia, præsumtio. Coniungenda ergo spes cum conscientia, ut propter spem maxima sit conscientiæ cura, & ex bonæ conscientiæ testimonio spes nostra firma sit. *Spem enim*, inquit laudatus S. Doctor, *gerit bona conscientia: quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona tota in spe.* Quam ob rem conscientia in hac vita iudicis instar est vel absolvens, vel condemnans, ab eaque quoad hanc vitam quies, & perturbatio, quoad alteram salus, aut damnatio pendet: ut, nisi infelices esse velimus, rectam cum spe conscientiam aut gerere, aut amissam recuperare summo studio debeamus, ut nec spes conscientiam, nec conscientia spem suffocet. Primum fit, dum, neglecta rectam conscientiam conservandi, mundandique cura, intempestiva, & præsumtuosa spes fovetur, peccata accumulantur, gratiæ spernuntur, pœnitentia negligitur. Alterum contingit, quando præteritorum criminum conscientia spes abiicitur, ac desperatur, atque adeo in Spiritum S. peccatur, & æterna infelicitas

citas in hac iam inchoatur vita, in conſcientiæ tortura, quæ eſt huius vitæ infernus, in altera vita æternum perdurans arrodens vermis. De quo repetitis vicibus apud MARCUM Chriſtus dicit a): *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* In hoc ergo vermis hic conſcientiæ carnificina diſtinguitur ab infernali, quod mori adhuc poſſit, & extingui. Quæ ſpes ſi quem deficiat, uti eos qui peccato in Spiritum S. irremiſſibili tenentur, iam in inferno poſiti dicuntur, quando non corripiunt illius ſtimuli, ardentiaque ſatanæ tela veniam præcludunt ſecundum duritiam, & impœnitens cor. Nimirum non a DEO immittuntur, ut in memoriam revocata ſcelerum gravitate ad cor redeat peccator, ſed a ſatana, ut in deſperationem agat, aut omnem pœnitentiæ curam ſupprimat. Quod duplici ratione fit, diſpari crudelitate, aut immani cruciatu, aut alto ſopore, & veterno: dum poſt quævis crimina nulli aculei ſentiuntur, aut ita malum ingruit, & animum avocavit, ut non ſentiat morbum æger,



a) Marc. IX. 43. 45. 47.

nec medicus remedium adhibendum iudicet, adeoque ægrotum deſerat: cuiusmodi Babylonem deſcribit HIEREMIAS a): *curavimus Babylonem, & non eſt curata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram ſuam: quoniam pervenit uſque ad cœlos iudicium eius, & elevatum eſt uſque ad nubes.* Et apud eundem eadem de Iſraele b) prænunciantur: *Plaga inimici percuiſſi te caſtigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua. Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci tibi hæc.*

Adverſus quem miſerrimum ſtatum obfirmandus eſt animus conſideratione divinarum perfectionum.

XI. Exempla quidem hæc oſtendunt rem iſtam, ac infelix fatum ſine exemplo non eſſe; ſed quamdiu in hac vita ſumus, niſi DEO ſpecialiter revelante, de nemine, quantumvis ſceleſtiſſimo homine, aliquid ſtatui poteſt, nec indicia nobis ſuppetunt aliqua, nec ratio quemquam pro deſperato habendi, nec quispiam de ſe ita exiſtimare debet, niſi velit ſe

a) Hierem. LI. 9.
b) Id. XXX. 14. 15.

ſe peccato in Spiritum S. contaminare, & fatum hoc experiri, quod audaci opinione de ſe, vel alio non horret concipere. Hoc fit invidentia gratiæ in aliis, quaſi numerum, & modum quis ponere velit miſerationum divinarum, alterum reliquis ſpeciebus peccati in Spiritum S. Nihilominus ad ſalutarem terrorem hæc docenda ſunt, & inculcanda, ut quisque cum timore, & tremore ſalutem ſuam operetur, in neutram partem aut deſperatione, aut præſumtione obdurando impœnitens cor, contra agnitam veritatem divinæ iuſtitiæ, & miſericordiæ radiis Divinitatis nobis apertiſſime manifeſtatis ſolis luce clarioribus: patefacta nobis divina iuſtitia, & miſericordia, quamdiu in hac vita ſumus, patente. *Ipſe autem*, utar piiſſimi BELLARMINI a) verbis, *nullum terminum reconciliationi poſuit, niſi finem huius vitæ, quamdiu vivit peccator, etiam ſi ad centeſimum, vel ultra labendo, & relabendo pervenerit, a benigniſſimo Patre ad veniam delictorum admittitur. Nulla eſt apud miſericordiam Patris pœnitentia ſera, modo ſit*

 *ſeria,*

a) Aſcenſion. in DEUM gr. 16.

*ſeria, & ex corde vere contrito, & humiliato. Sed non ideo debet ullus abuti benignitate DEI, & de die in diem converſionem differre, cum nemo ſciat, qua hora, vel quo die de corpore ſit exiturus, & ad tribunal iuſtiſſimi iudicis compariturus.* Nec iuſtitia ergo ſine miſericordia, nec hæc ſine illa conſideranda eſt, cum DEUS utramque temperet, & in toto negotio ſalutis unam ſine altera nunquam exerceat, unde nec generi humano miſericordiam tribuere voluit, niſi ſervata in Chriſto iuſtitiæ, & rigoroſæ ſatisfactionis ſeveritate: nec, iuſto cum condemnat iudicio, miſericordiæ obliviſcitur, quicunque illi ſint, ac quam enormibus implicati ſceleribus, quos dum demum deſerit, aut ex hac vita evocat ad æterna ſupplicia, ſevera iuſtitia, non tamen penitus ſine miſericordia facit, ut etiam deſeruiſſe, & ex hac vita peccatis implicitos eripuiſſe, hoc modo dici poſſit temperata miſericordia, ne alias longe gravius gratiam diutius reiiciendo, & peccata augendo ſupplicium ſibi conſciſcant miſeri peccatores. *Gravius eſt enim*, inquit S. AMBROSIUS,

*ad*

a) *ad peccatum vivere, quam in peccato mori, quia impius in quantum vivit, peccatum auget, si moriatur, peccare desinit.* Hinc discere quilibet deberet satis suis esse contentum, dum quidquid DEUM facere circa homines iustos seu iniquos videmus, radios divinæ bonitatis, & iustitiæ nobis pandunt, nosque spem inter, & metum continent, quæ circa bonos, & malos fieri cernimus. Quod egregie S. AUGUSTINUS illustrat etiam circa eam spem, quam saltem in aliorum, Sanctorum nimirum, meritis, repositam habent peccatores ad veniam, & salutem æternam. *Sed,* inquit b), *quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum DEI, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe usque ad hoc tempus cum inde satagerem ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si*



a) De bono mortis. c. 1.
b) De Civ. Dei. L. XXI. c. 27. n. 5.

*ſcirentur, quæ, vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris abſumtis interceſſio ſit inquirenda, & ſperanda iuſtorum, eis ſecura ſe obvolveret humana ſegnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, ſed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de mammona iniquitatis eleemoſynarum largitione feciſſet. Nunc vero dum venialis iniquitatis, etiam ſi perſeveret, & ignoratur modus, profecto & ſtudium in meliora proficiendi orationi inſtando vigilantius adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis ſanctos amicos cura non ſpernitur.*

Ne tamen in oppoſita extrema deſperatione, aut præſumtione declinando abiiciatur ſalutis cura.

XII. Sed hic ante omnia Apoſtoli ſunt a) audienda monita, quæ ipſe Hebræis gratiam Chriſti conſecutis, tota gente iam in derelictionis articulo conſtituta, dedit, excitata fiducia in Chriſtum redemtorem. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Bene dixit,* commentatur

a) Hebr. IV. 14.

tatur in hæc verba S. CHRYSOSTOMUS a), *in auxilio opportuno, ſi enim nunc acce- das, accipies & gratiam, & miſericordiam, opportune quippe accedes: ſi autem tunc acceſſeris (cum ſcilicet eundum erit in iudicium) nequaquam. Intempeſtiva quippe erit acceſſio tunc: non enim erit tunc ſedes gratiæ . . uſque tunc ſedebit rex gratiam largiens, cum autem venerit finis, tunc ſurget in iudicium.* Nemo ergo, quamdiu Spiritum in hoc mortali corpore ducit, ſeſe deſertum, & derelictum exiſtimare poteſt, ac debet; redeuntibus, & pœnitentibus ſemper patet gratiæ porta. Aliter cum iam inciperent Prophetarum tempore opinionem gerere Iudæi, audi, quid per EZECHIELEM b) eis denunciandum præcipit. *Tu ergo fili hominis, dic ad domum Iſrael: Sic locuti eſtis dicentes: iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus. Quomodo ergo vivere poterimus?* Hæ erant deſperabundorum Iudæorum voces. Sequitur ſummi DEI reſponſio: *Dic ad eos: Vivo ego,*



a) Hom. VII. in cap. 4. ad Hebr.
b) Ezech. XXXIII. 10. &c.

*dicit Dominus DEUS, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.* Hæc ſeria, & iuramento etiam firmata eſt teſtificatio, ut ſignificet, quam vere vivat, velle ſe etiam vitam, & converſionem impii. Sed qua conditione mox additur: *Convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis.* Ex parte hominum adeſſe debet pœnitentia, & converſio, quæ mox ut adfuerit, in gratiam recipitur, qualiscunque perverſus fuerit peccator. Unde ſequitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab iniquitate ſua.* At dum quis deſperando de divina miſericordia ad pœnitentiam animum non admovet, aut præſumendo peccata peccatis accumulat, ſpreta tanta oblata gratia, dum animum induratum, & impœnitentem præbet, agnitæ reſiſtit veritati de tam gratioſa erga nos DEI voluntate, ut nec ſibi applicet auxilium opportunum, aut aliis invideat, fons miſericordiæ occluditur, atque conditio ad veniam ex parte noſtra deeſt, nimirum pœnitentia. Thronum gratiæ, quem adire poſſimus, tribunal pœnitentiæ obvium

vium in terris conſtituit, quod qui acceſſerint pœnitentes, conſequuntur veniam, & in gratiam redeunt cum DEO abſolutionis certam accipientes vocem. At remediorum facilitas non eſt convertenda in cauſam peccandi. Etiam qui peccata ſæpe ad tribunal pœnitentiæ deferunt, maxime hic impingere poſſunt, ſi præſumtione remiſſionis peccata coacervent. *De propitiato peccato,* monet Sapiens a), *noli eſſe ſine metu, neque adiicias peccatum ſuper peccatum, miſèricordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Paris ergo periculi eſt mentem deiicere, & deſperatione pœnitentiæ oblatam non recipere gratiam, aut præſumtione veniæ pœnitentiam non agere, & converſionem de die in diem differre. Et hoc poſtremum multo hodiernis moribus, & Sacramenti pœnitentiæ frequentia ſæpius, quam multi exiſtiment, incurritur; ut adeo e re ſit, ſeveritate iuſtitiæ divinæ ſalutarem incutere timorem, non ad deſperationem, ſed reſipiſcentiam, cui certam DEUS veniam promiſit.



a) Eccl. V. 12.

Quod monendi ſunt mortales, ne oblatam reſpuendo gratiam ea excidant.

XIII. Certum eſt quidem, & indubitatum, quemcunque quamvis impium, in quacunque die converſus fuerit, benigne a DEO eſſe ſuſcipiendum: fidelis eſt enim DEUS, qui pœnitenti, & revertenti veniam promiſit, ſed gratiam in quocunque die, etiamſi ultima exſpectetur hora, non certo promiſit, ſine qua nullus converti, & pœnitentiam agere poteſt: imo eam ſeſe ab immerentibus, & conculcantibus ablaturum, & etiam non auditurum ad ſe clamantes comminatus eſt, qui vocantem illum non audierint. *Iuſtiſſima enim pœna eſt,* ſatis nota, & horribilis eſt S. AUGUSTINI vox, *ut, qui noluit, cum potuit; non poſſit, cum voluerit.* Utut autem concedatur, DEUM nunquam ſua deeſſe gratia, ſemperque præſto eſſe peccatori, quidquid ad iuſtificationis gratiam conſequendam ordinario rerum curſu neceſſarium fuerit; at deſperatorum eiusmodi morborum ſymptomata extraordinaria requirunt remedia, & miracula, ut obſtinata, & impœnitens mens commutetur ſubito, cum forte mors iam propinqua eſt, atque doloribus, curisque animus occupatus

patus detinetur aut perplexus, & desperabundus, aut forte periculi imminentis adhuc, ut per reliquam vitam, incurius. Tempestive huius periculi commonendi sunt, non ut in desperationem ex præsumtione præcipitentur homines, sed ut, dum adhuc integrum est, curam salutis seriam suscipiant, caveantque, ne in miserum eiusmodi incurrant statum. Quod facere cum detentis morbo corporis solemus, ut eos ad remedium opportuno tempore sumendum hortemur, non cum iam desperata est salus, & non amplius profutura medicina, hic multo gravius est agendum, inculcandumque. Nec tamen edicere possumus, aut debemus quemquam in hac terrere vita, quasi huc iam infelicitatis pervenerit quis, miseriæque, ut emergere non valeat, etiam in extremo constitutus momento vitæ: hoc ipsum enim esset in peccatum in Spiritum S. demergere, ex alia forte in aliam illius speciem. Interim tamen denunciandum est periculum ex una, sicut ex altera parte, tam contra præsumtionem, quam desperationem; & sicut desperabundis misericor-

ricordiam DEI immensam, ita præsumentibus pœnitentiam de die in diem differentibus, peccata coacervantibus, gratiam conculcantibus, intimandum est divinum iudicium, ac iustitiæ severitas, ut præsenti utantur gratia, atque adeptam conservent ut pretiosissimum thesaurum. *Tu vero si sapis*, est monitum
a BELLARMINI a), *adeptam semel gratiam noli deserere, noli abire, noli recedere, nihil enim melius ullo in loco reperies: neque scis, an alias reverti dabitur, si sponte recesseris; qui enim promisit veniam pœnitentibus, nec vitam longiorem, nec donum pœnitentiæ tibi promisit.* Quo maior vero est gratia, eo gravior culpa, & damnatio. *Certissima ergo est ra-*
b *tio*, ait SALVIANUS b), *qua & nos, qui in plurimis Evangelia negligimus, peius timere aliquid debeamus: præsertim cum usitatis iam, & familiaribus malis contenti esse nolimus.* Quod ad hæc tempora multo magis quadrat. Ex facilitate pœnitentiæ, & frequentia reconciliationis pronum est præsumtionis habitum contrahere, & pœnitentiam fictam tan-

a) Ascens. ment. in DEUM gr. 7.
b) De Gubern. DEI. L. IV. n. 9.

tantum afferre, etiam dum conceditur Sacramentorum fieri participem: quod iam Chriſtianis plerumque exceptis paucis contingit ſubito caſu, aut violenta obeuntibus morte. Utrumque autem incertum eſt, & æque formidandum, præcavendumque, ne conſuetudine confitendi ſine emendatione cum fucata pœnitentia obeundi, aut ſubitanea morte abrepti ſine pœnitentia ex hac vita exeundi periculo noſtram æternam committamus ſalutem iuſto iudicio, non ſine miſericordia DEO tandem finem fallendi pœnitentiam, & accumulandi peccata faciente. Ne quis in huiusmodi etiam iuſtis, & ſeveris iudiciis miſericordiam abeſſe putet, quaſi differendo, & prolongando vitam ageretur melius. *Fortaſſe, inquis*, ait S. CHRYSOSTOMUS a), *vitam vivus mutaſſet ſuam. At non illum rapuiſſet DEUS, ſi vitam eſſet mutaturus.* Certe diuturnior vita peccatorum aggravaſſet pondus, & indultum reſipiſcentiæ ſpatium graviori fucatæ pœnitentiæ obſtrinxiſſet ſacrilegio, aut pecca-

tum

a) In Epiſt. ad Philipp.

tum etiam in Spiritum S. in abyssum miseriarum detrusisset.

---

## CAPUT VI.

### *Convenientia doctrinae nostrae cum disciplinae omnis aevi usu.*

I.

Pecatum in DEUM, aut peccatorum cumulus cum blasphemia in DEUM.

Sunt hic aliqua enucleatius ponenda, & explicanda ex veteri Theologia, & disciplina leviter a nobis in superioribus tacta. Curiosius etiam elaborandum, ut aliqua in veteri Theologia vestigia eius de peccato in Spiritum S. opinionis, quam hic stabilimus, indagemus. Ad hunc censum refero, quod saepe tantam in Christi verbis de non remittenda blasphemia in Spiritum S. perspicuitatem agnoverint SS. Patres, ut si non aliquod tale nominatim determinarint (quod tamen fuerunt, qui facerent) generali tamen expressione exhibuerint. Sic S. CYPRIANUS a): *non posse in Ecclesia ei, qui in DEUM deliquerit,*

a) L. III. testim. c. 18. p. 580.

*liquerit*, *remitti*, apertis verbis edixit: affertque in confirmationem ſuorum verborum locos MATTHÆI, & MARCI, quorum modo diſquirimus ſententiam: itemque decantatum 1.*Reg* 2. HELI dictum. PASTOR, cuius etiam teſtimonio ſuperius iam ſumus uſi, nonnihil diſtinctius loqui videtur, peccatorumque numerum illud ſingulare in ipſum DEUM, Spiritum ſcilicet Sanctum, peccatum enunciare, cui nulla ſit danda venia a). *Quæcunque pecora vidiſti valde læta, & exultantia, ii ſunt, qui in perpetuum a DEO diſceſſerunt, & tradiderunt ſe deſideriis huius ſeculi: iis ergo non eſt per pœnitentiam regreſſus ad vitam, quoniam quidem adiecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomen Domini nefandis inſectati ſunt verbis. Huiusmodi homines morti ſunt deſtinati.* Ne vero aliquis exiſtimet mortem alterius tantum ſeculi intelligi, addit aliud genus hominum, qui deliciis quidem, & voluptatibus ſeſe dederunt, nihil tamen nefandum in Dominum locuti ſunt, nec a veritate defecerunt: hos, ait, repoſitam adhuc habere ſpem

vitæ

a) Paſt. L. III. ſim. 6.

vitæ in pœnitentia. Ergo opinione Hermæ priores illi ſpem veniæ in pœnitenia non habent. Antea iam dixerat, aliud genus peccati eſſe ad defectionẽ, & aliud ad mortem, ad amborum autem explicationem ea, quæ modo retulimus, ediſſeruit. S. Cyrrianus generatim peccatum contra DEUM ab Eccleſia remitti non poſſe ſtatuit, qui tamen ad finem libri de lapſis diſſerte ait, pœnitenti, operanti, roganti DEUM clementer ignoſcere, & in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. Ergo pœnitentiæ conditionem ſubintellexit Cyprianus, quam deeſſe tunc ſentit Hermas, ſi cumulo peccatorum blaſphemiæ in DEUM addantur. Dum vero generalius loquuntur, innuunt peccatum iſtud in hominum notitia non verſari, ſed a ſolo DEO diiudicari: neque omnem blaſphemiam talem eſſe, quæ non remittatur, ſed certum genus, & modum, ut *ille intelligatur*, verbis utor S. Augustini, *qui non omni modo, ſed eo modo blaſphemaverit, ut ei nunquam poſſit ignoſci.* Id quod ipſum noſtrum aſſertum eſt, quod cum primis Hermas

clariſſime

clariſſime adſtruit cumulo peccatorum in DEUM blaſphemiam addens, eam utique, qua in peccatis obdurnando, obſtinandoque animum in DEUM ipſum aſſurgitur præſumtione, deſperatione, invidia, verbo, eo omni modo, quo cominus divina miſericordia, & iuſtitia impetitur, contemnitur, ac blaſphematur.

II. Quod HERMÆ Paſtor non de ſingulari aliquo peccato, ſed de perſeveranti in peccando voluntate dicit, ut ſit peccatum illud venia indignum, congruitque cum noſtra de menſura peccatorum doctrina, cui venia nunquam obtingat, idem ab aliis diſtinctius eſt poſitum. S. PACIANUS, *Sicubi*, inquit a), *conſtitutam peccantibus pœnam probaveris, hoc tenebis, aut in peccatis perſeverantibus conſtitutam, aut libertatem DEO relictam mutandæ, ſi pœniteas, ſententiæ.* Eandem ſententiam non ſemel repetit. Editoribus Bibliothecæ Maximæ Patrum Lugdunenſis notam addere viſum eſt, qua mentem huius Sancti Patris in ſenſum catholicum explicarent. Putant autem S. PACIANUM velle reliqua

Aut perſeverantia in peccato peccatum expers veniæ habita.

a

I pecca-

a) Ep. III. cont. Tract. Nov. Bibl. P. P.

peccata dimitti bonis pœnitentibus, non autem blasphemiam in Spiritum S., quia ordinarie, & ut plurimum peccatum eiusmodi non curatur per veram pœnitentiam iusto iudicio deserente DEO, ac in sensum reprobum trahente eos, qui ita peccant. Qui explicandi modus durior certe nostro est, quamvis in eo conspiret, DEUM iusto iudicio non semper pœnitentiæ donum tribuere, quando ad illam homines mentes suas obstruunt, nec peccandi modum faciunt, quod aut nimiam de DEI clementia fiduciam habeant, aut eandem penitus deponant. Atqui hæc est ea peccandi perseverantia, hæc illa *peccata manentia*, ut ea vocat S. PACIANUS, quæ si mensuram divinæ patientiæ excedant, in hoc, & altero seculo plectantur. Perseverantia etiam peccati in SpiritumS. ATHANASIUS a) non uno in loco agnovit, ut tale evadat peccatum, cui neque in hoc, nec altero seculo venia tribuatur. Unum locum hic describemus. *Notandum est*, inquit, *Christum non dixisse ei, qui blasphemaverit, & resipuerit, non remittitur, sed blasphe-*

a) De Comm. Essent. trium Personarum.

*blaſphemanti, id eſt in blaſphemia perſeveranti: quandoquidem nullum peccatum apud DEUM, peccatum irremiſſibile eſt, ſi quis ſincere, & , ut oportet, reſipiſcat.* Peccatum itaque aliquod, ſeu potius peccandi modus, ut vocat S. AUGUSTINUS, eſſe debet, qui pœnitentiæ fontem obſtruat, ut ſit eiusmodi, quod non remittatur, pœnitenti enim nunquam deeſt venia. Hæc univerſim teſtimonia, quamvis aperte noſtram ſententiam non præſeferant, illud tamen in ea confirmant, peccati huius aliquem habitum, & diuturnum uſum ſtatuendum, ſi doctrinam de eius venia non concedanda conciliare placeat cum poteſtate eccleſiaſtica remittendi peccata, cumque iuſta divinæ miſericordiæ lege. Unde S. AUGUSTINUS inductus fuit, ut impœnitentiam finalem pro tali peccato conſtitueret, quod maxime perſeverans, eſt peccatum. Talem vero etiam reliquos, quos modo allegavimus, intellexiſſe perſeverantiam peccandi, nec ex eorum ſcriptis facile quis probaverit, nec fert eorum de hac re doctrina, ſi per

omnes suas partes spectetur, quod ut perspiciatur, ipsi Auctores adeundi sunt.

Ecclesiæ disciplina eis, qui in peccatis callum obduxerant, veniam aut negavit, aut timide indulsit.

III. Hanc peccandi perseverantiam Ecclesia primis seculis non solum periculi plenam agnovit, sed etiam venia Ecclesiæ indignam iudicavit, idcirco iis, qui pœnitentiam sani contemserant, cum in extremo periculo peterent, communicationis & pacis spes est negata, quod ex
a S. CYPRIANO a) constat: *Pœnitentiam,* inquit, *non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari.* S.
b AMBROSIUS b), quid de dilatione pœnitentiæ senserit, perspicue edisserit: *Sicut,* inquit, *semel assuta redintegrantur, ita frequenter suta solvuntur. Eos autem, qui pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Nescimus qua hora fur*

a) Ep. LII. p. 156.
b) L. II. de Pœnit. c. XI. p. 382.

*fur veniat, neſcimus an proxima nocte a nobis repoſcatur anima. Adam poſt culpam ſtatim de paradyſo DEUS eiecit, non diſtulit, ſed ſtatim ſeparavit a deliciis, ut ageret pœnitentiam, ſtatim tunicam veſtivit pelliceam, non ſericam &c.* Tempore INNOCENTII I. ſevera illa diſciplina paſſim obſoleverat, qua iis pœnitentiæ reconciliatio eſt negata, qui in peccatis per vitam impliciti in mortis periculo eandem flagitabant. Quamvis INNOCENTIUS dicere videatur ſolum communionis gratiam non conceſſam, pœnitentiam vero datam, diſceptant tamen inter ſe eruditi, an communionis nomine eccleſiaſtica per reconciliationem, an vero Euchariſtica per Corpus Domini ſit intelligenda. Non eſt fori noſtri hanc componere litem, ego verba INNOCENTII a) hic recitabo, lectori libertate iudicandi relicta. *Quæſitum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expo-*



a) INNOC. I. Ep. III. c. 2. ad EXUPERIUM.

*ſcunt: de his obſervatio prior durior: poſterior interveniente miſericordia inclinatio eſt: nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur: nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio: ſed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam depulſo terrore communionem dare abeuntibus placuit.* Ex hac antiqua praxi coniici poteſt, antiquos peccatorum nimiam accumulationem venia indignam aliquando exiſtimaſſe, aut dubitaſſe ſaltem iis pœnitentiæ afferre donum, qui tamdiu illud contemſerant: *Quia,* ut inquit S. CYPRIANUS a), *rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte capere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Huc facit, quod ſuperius ex conſtitutionibus apoſtolicis de

a) Ep. LII. p. 156.

de AMON, filio MANASSIS retulimus, qui exemplo patris ſui, cui diutius in peccatis perſeveranti, ſero etiam pœnitentiæ munus adfuit, ætatem in vitiis tranſigere ſtatuit, dilata ad mortem pœnitentia.

Et poſt baptiſmum non niſi difficulter indulſit.

IV. Hoc etiam illa confirmat omnium temporum perſuaſio, & ſumma conſenſio, peccata poſt baptiſmum commiſſa difficillime remitti: in quam rem teſtimonia afferre operæ, & temporis jactura eſſet, ſic paſſim ſunt obvia, & trita. Quænam vero huius rei alia cauſa eſt, niſi difficultas eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam cum impoſſibile eſſe dicat S. PAULUS, qui illuminati guſtaverunt etiam donum cœleſte &c. hoc eſt, reſiſtendi DEI donis finem non faciunt, & menſuram ſuam complent, renovari ad pœnitentiam. Tale aliquid mihi præſeferre coacervata a PAULO orationis membra videntur conceſſorum Spiritus S. donorum, quibus omnibus neglectis, tamen adhuc lapſus contigerit.

Repetito lapſui in diſciplina eccleſiaſti-

V. Quin ipſe repetitus in idem crimen lapſus tantopere ſuſpectus antiquis

ca olim pœnitentiæ actio negata.

visus, ut publicæ pœnitentiæ iuxta disciplinam illorum temporum secundo locus non amplius fuerit. *Merito*, inquit S. AMBROSIUS a), *reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo; nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* Hac observantia declarare voluit Ecclesia, difficilius eos veram agere pœnitentiam, qui, ut verbis utar concilii Eliberitani, delictum geminarunt: *quia facilius*, ut eodem loco ait S. AMBROSIUS, *inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* Quid iam de illis cogitandum, qui abusi divina misericordia, aut eiusdem desperatione deiecti, propria obstinatione excæcati, peccandi habenas remittunt, salutis remedia spernunt, æternæ vitæ spem abiiciunt? An invitis ipsis adesse sibi semper Spiritus S. munera, quæ contemnunt, rentur? Ecclesia Romana, quæ tamen benignam, ac indulgentissimam matrem sese præbuit erga pœnitentes, & nimium multa-

a) Lib. II. de Pœnit. C. 10.

multarum Ecclesiarum rigorem variis in occasionibus, antiquis temporibus, correxit, hic tamen eandem adhibuit severitatem. *Qui acta pœnitentia*, statuit SIRICIUS epist. I. *tanquam canes*, *& sues ad vomitus pristinos*, *& volutabra redeunt*, *suffragium non habent pœnitendi.* Cum in reliquis capitibus non solum variorum temporum, verum etiam locorum, & Ecclesiarum varia fuerit disciplina, hic tamen in unum consensisse omnes reperiuntur, ut relapsis in Ecclesia locus pœnitentiæ, prout antiquitus agebatur, non fuerit concessus. *Post actam pœnitentiam non conceditur in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ*, scribit, & testatur S. AUGUSTINUS in celebri illa epistola ad MACEDONIUM. Cui quærenti, cur Ecclesiæ Præsules pro reis soleant apud iudices seculares intercedere, ac supplices fieri, qui tamen non nisi semel soleant indulgentiam, & actionem pœnitentiæ concedere, sic respondet, ut hanc Ecclesiæ consuetudinem non solum non inficietur, sed & confirmet, quin tamen de venia, & salute eiusmodi hominum a DEO impetranda desperet. Ex quo

colligere licet auctorem de vera, & falsa pœnitentia alium esse, aliusque mentis atque de posteriore S. AUGUSTINUM Ecclesiæ disciplina scribere, testarique sequentibus verbis: *Videmus adhuc quotidie in Ecclesia sæpe febricitantes, sæpe languidos, sæpe passionibus captos sæpe liberari, ut appareat toties opus miserantis, quoties confessio fit pœnitentis. Medicum se vocat & non sanis, & male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare?*

**Præsertim si dilata usque ad mortem pœnitentia.**

VI. At hic non agitur de eo, quod sperare licet peccatori a DEI misericordia & meritis Christi, sed quid factitarit Ecclesia antiqua secundum veterem pœnitentiæ disciplinam. Quæ duo qui secundum praxin pœnitentiæ hodiernam & opiniones etiam antiquorum confundunt, inextricabilibus sese innodant difficultatibus. Tunc non solum, ut modo vidimus, pœnitentiæ actio secunda non fuit concessa, verum etiam non uno canone, & statuto ecclesiastico, observantiaque haud ignobilium Ecclesiarum, fuit retenta, negataque communio

nio iis, qui extremo morbo conflictabantur, & tunc primum petebant, aut ad Eccleſiam recurrebant. Ne quid dicam de tot canonibus Eliberitanis præcipue variis criminibus etiam in fine vitæ negandam communionem ſtatuentibus, uſuque Eccleſiarum variarum unicuique ſcelerum generi, aut modo ſceleris immaniori fores Eccleſiæ, & claves negando. Nemo Novatianiſmum ſibi in animum inducat, quaſi aliquod eſſet crimen, quod Eccleſia remittere nequeat. Atque hic in errorem lapſus eſt *Bonus* MERBESIUS a), qui abuſus, ac in ſiniſtram partem interpretatus ſententiam Chriſti peccatum in Spiritum S. non remitti in hoc ſeculo, nec futuro, Novatianiſmo patrocinatur ſequentibus verbis b): *Nullum eſt flagitium tam atrox, tam immane, quod Eccleſia clavium miniſterio ſibi a Chriſto Domino adhuc in terris agente conceſſo vero pœnitenti remittere nequeat, ſi unum duntaxat delictum, qualecunque ſit, quod Chriſtus in Evangelio æternum vocat, exceperis.* Quod ſi illud *vero pœ-*

*nitenti*

a) Tr. IV. de pœnitentia q. 79.
b) Loc. cit.

*nitenti* ad posterius propositionis membrum de peccato irremissibili per claves Ecclesiæ refert, inexcusabilis est error, atque crassa peccati in Spiritum S. ignorantia, cuius natura est fontem pœnitentiæ claudere; nec ullus verus pœnitens peccato in Spiritum S. detentus esse potest, & obstrictus: ut adeo peccatum illud irremissibile sit in hoc seculo, non defectu potestatis clavium, sed veræ pœnitentiæ, sine qua nihil valet Ecclesiæ absolutio, ut tamen sine absolutione, ubi ea haberi nequit, aut habendam non præscribit Ecclesia, possit esse cum vera pœnitentia peccatorum remissio. Qua ratione vindicatur, & explicatur veteris disciplinæ rigor in neganda pœnitentiæ actione, sive cuiquam lapsui, sive relapsui, sive universalis Ecclesiæ consuetudine, sive particularium quarundam, qua constat, non semper omnibus indiscriminatim peccatoribus, & peccatis omni tempore ac loco esse concessam pœnitentiam, & absolutionem Ecclesiæ primis etiam seculis, non obstante Christi, & Apostolorum exemplo, & doctrina, ipsaque Evangelii natura, & essentia de remissio-

missione peccatorum consequenda ad vitam æternam necessaria. Et tamen iam S. CYPRIANUS a) de suis antecessoribus, utique secundi seculi, testatur: *Apud antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.* S. ZEPHERINUM ipsum Papam redarguit TERTULLIANUS b), quod cum homicidas nunquam absolverit, mœchos tamen reconciliaret. Nisi fallat, aut falsus sit TERTULLIANUS, hic status quæstionis præcisus est, nec valet, quod quidam circa alia exempla negatæ communionis præsertim in fine vitæ dicunt, Eucharisticam non reconciliatoriam intelligi. Concilium Nicænum can. XII. observari mandat regulam antiquæ legis, ut videlicet, si forte quis recedat a corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. Fuit singulare summorum Pontificum studium circa id ipsum. Apud GRATIANUM IULIUS I. 12. cap. 26. q. 6. statuisse dicitur: *Si presbyter morientibus*

a) Epist. LII. ad ANTONIANUM.
b) De pudicitia. c. 5.

*bus pœnitentiam abnegarit, reus erit animarum.* Et Coelestinus I. a) in secus agentes vehementer invehitur: *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari. Horremus tantæ impietatis hominem reperiri. Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absolvi possit, occidere?* Hoc si spectetur, rigor iste certe ab impietate excusari nequit, quæ tamen non debet imputari omnibus illis statutis, & observationi Ecclesiæ antiquæ, quam duriorem fuisse Innocentius agnoscit.

Nec ex desperatione veniæ, sed cautione.

VII. At vel hinc patet talem aliquando observationem obtinuisse, quam ut abolerent, nihil non egerunt Pontifices, maxime autem quoad extremum exitus ex hac vita articulum, etiam quoad illos, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem communionis exposcunt: quæ sunt Innocentii verba a me iam laudata: fuitque antiqua Africanarum Ecclesiarum, ut ex S. Cypriano

NO

a) Ep. II. c. 2.

NO retulimus, praxis negandi non ſolum Euchariſtiam, quam ſuo adhuc tempore recte eis negari dicit INNOCENTIUS, ſed reconciliationem communionis. Quam diſciplinam vehementer improbat S. LEO a) ſi ei error coniungatur, ac ſi aliqua divinæ miſericordiæ menſura, & modus ſtatueretur. *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ DEI nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio, dicente Spiritu DEI per Prophetam: cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* Nemo aliter ſine piaculo exiſtimare poteſt, & qui hic rigorem ſtatuebant, non deſperationem miſericordiæ, ſed pericula fictæ pœnitentiæ obtendebant. *Idcirco frater chariſſime,* ſunt verba S. CYPRIANI iam ſæpius laudata ad ANTONIANUM epiſtola, *pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis profeſſione teſtan-*

tes,

a) Epiſt. LXXXIX.

*tes, prohibendos omnino censuimus.* Et can. ultimus Conc. Arel. I. eodem Spiritu ducebatur circa communionem apostatis negandam omnino: *De his, qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere petunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* De hodierna disciplina verbum non addam, constat illa eorum Sacerdotum usu, qui religiose tribunal pœnitentiæ obeunt, quando cum peccatoribus res est, qui inveterata peccandi consuetudine laborant, qui segniores sese in excitando de peccatis confessis dolore præbent, nec emendationis indicia, & argumenta dant. Dispiciendum est curate, an non tales peccatores nimia aliqua fiducia agantur de divina misericordia? an non desperent se consuetudinem deposituros? an non mentem obdurent ad suscipiendum pœnitentiæ donum? an non impœnitentes fictam tantum pœnitentiam præseferant?

VIII.

VIII. Quamvis autem accidere possit, ut unico aliquo actu peccator talem se in statum proiiciat, ut gratia DEI indignum, aut ineptum se redhibeat, potissimum tamen cumulus, & mensura, numerusque peccatorum, nemini nisi DEO notus existit, de quo Theologi in pulpitis, verbi divini ministri in ambonibus, confessarii in conscientiæ tribunali frequenter pronunciant, monentque, atque impense hortantur peccatores, qui a peccandi consuetudine desistere detrectant, ne divitias bonitatis DEI, & patientiæ, & longanimitatis contemnant, ne mensuram impleant peccatorum suorum, ne prætereant tempus visitationis, ne secundum duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizent sibi iram, ne oculos divino lumini, aures Spiritus S. inspirationibus, monitionibusque, cor motrici gratiæ claudant, ne tempus pœnitentiæ differant, ne spem veniæ abiiciendo vitiis se dedant, ne loquenti in se Numini repugnent, ne, quando vocem Domini audierint, obdurent corda, ne perspectæ, manifestæque contrarientur

Dum præsenti gratia utendum, & cito peccandi modus ponendus, ne mensuram excedamus.

veritati, ne, dum invidiæ ſtimulis erga proximi dona, & gratiam agitantur, ſe eiuſdem indignos reddant, neve in ſeipſis Spiritum S. extinguant, ne tardent converti ad Dominum, & ne differant de die in diem: ſubito enim veniet ira DEI, & in tempore vindictæ diſperdet peccatores. *Ne ſit in aliquo veſtrum,* o peccatores! *cor malum incredulitatis diſcedendi a DEO vivo, ſed adhortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec* HODIE *cognominatur, ut non obduretur quis ex*
a *vobis fallacia peccati.* a) Hæc ſunt PAULI ad Hebr. verba, qui in eo tum erant, ut menſura patrum ſuorum, ipſorum̃etque impleretur, quæ ſunt omnibus illis accommodata, qui ad ſimilem miſeriam properant. Quare ad eundem Iudæorum, ac ſimilium reproborum hominum ſtatum pertinent, quæ Apoſtolus eadem ad Hebræos epiſtola dicit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum DEI verbum,* *vir-*

a) Ad Hebr. III. v. 12.

*virtutesque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Multa hic conſequenter ponit PAULUS, quo tandem impoſſibile apud homines evadat renovari ad pœnitentiam. An non menſura reiectorum donorum cœleſtium eſt, unde tandem proiici meruerunt Iudæi, iique omnes merentur, qui mentem ſuam Spiritui S. occludunt? Qui eiusmodi ſunt, filii diffidentiæ ſunt. *De nemine*, inquit S. THOMAS a), *deſperandum eſt in hac vita, conſiderata omnipotentia, & miſericordia DEI: ſed conſiderata conditione peccati dicuntur aliqui filii diffidentiæ, ut habetur ad Eph.* 2. Atqui hæc mea de peccato in Spiritum S. doctrina eſt, quod modo aliquo commiſſum, neque in hoc, nec altero ſeculo ſit remittendum, cum in hac vita pœnæ loco ſit aut mors accelerata, aut mentis obſtinatio, uberiorisque gratiæ detractio, ſine qua nunquam ad frugem eſt rediturus peccator, nec remittetur peccatum. Namque, ut laudatus inquit THOMAS b), *liberum arbitrium remanet*



a) 2, 2. q. 14. a. 3. ad 1.
b) Ib. ad 3.tium.

*net quidem ſemper in hac vita vertibile: tamen quandoque abiicit a ſe id, per quod verti poteſt ad bonum, quantum in ipſo eſt. Unde ex parte ſua peccatum eſt irremiſſibile, licet DEUS remittere poſſit.*

---

## CAPUT VII.

### *Communi ſenſu, rationeque, & humanis exemplis oſtenditur, hominem non impune peccatorum numerum accumulare, gratiaque abuti.*

I.

Offenſiones ſæpius repetitæ, gratiæque reiectæ divinum Numen averſum reddunt.

Cui non perſuaſum ſit, facilius ſe unius alicuius delicti veniam conſecuturum, quam ſi nullum delinquendi finem faciat: nihil magis ἐυεργέτων ac gratioſorum hominum animum offendit, quam ſi in ingratos beneficia profundant, ſi deſpicatui habeantur; qui cuipiam bene conſulit, & conſilium abiicitur, facile deinceps conſultor a conſilio dando abſterretur, præſertim ſi non ſemel ac iterum, ſed centies id fiat, nec locum inveniat. Qui, dum beneficium offertur,

tur, illud detrectat, eique manus claudit, indignum ſe reddit, cui iterato offeratur; quid ſi ſæpius oblatum ſit, nec acceptetur? Quo maiora, & ampliora ſunt beneficia, eo graviore offenſione vilipenduntur, negliguntur que. Quo magis diſpar eſt dantis a recuſante conditio, eo deterius eſt crimen contemtus. Quo pluribus nominibus, ac titulis obſtrictus eſt hic illi, quo arctius mancipatus, eo inexcuſabilior culpa. Quo minus beneficium eſt debitum, tanto eius repulſa eſt indignior. Quis enimvero minus obligatus, cuius magis gratuita eſt gratia, quam creatoris in creaturam? Quis ab homine promtius obſequium requirit, quam DEUS, cui quidquid eſt, homo in acceptis refert? Quid ſi in bonum hominis cedat obſequium? ſi eius cauſa requiratur, & non præſtetur? Quid perverſius, hominem DEO ſupremo Domino obſiſtere, ac refragari in proprio ſalutis ſuæ negotio, quorſum ipſe homo ſuis viribus pertingere nequit; eaque aſpernari auxilia, quibus eniti poſſit, idque ſæpius non per

annos, & dies, ſed horas, ac momenta? Ipſius beneficii, gratiæque ſumma neceſſitas expoſceret, ut ardentiſſimis precibus flagitaremus, maximo ſtudio, deſiderioque præſtolaremur: & nos, dum offertur, in eo acceptando ſegnes ſumus, manus, ac ſinum occludimus, terga obvertimus. Nec ſubit cogitatio aliquando irritandum fore divinum Numen, atque eius voluntatem revocandam a ſtudio collocandi in ingratos beneficia, dum ſua non intereſt ea concedere, hominis vero maximopere. Profecto modum aliquando ponet divinæ munificentiæ aſpernatio, ac deſpicientia divinorum munerum. Eſt quidem ſummus DEI erga nos amor, cura maxima felicitatis noſtræ: ſed noſtram etiam requirit operam, &, ut S. AUGUSTINUS ait, *qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Præit noſtram voluntatem, incendit ſtudium, iuvat conatum, robur dat operi, nec tamen ſine nobis; iunctis nobiſcum agit viribus, ac vires etiam largitur, ſuccollatque, trahit, ſed ſpontaneos, ducit, non invitos impellit, ac cogit. *Voluntarie*

*enim.*

*enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ eius* a). Idcirco velle dat DEUS, ut voluntate noſtra, ſuaque gratia operemur. Neque ſuaſionibus tantum, monitis, ac conſiliis, ut homines ſolent, adeſt, ſed intus emolliens cordis duritiem, voluntatis pervicaciam. Ain vero, ſi toties divinum abiiciatur conſilium, adverſus illud obſtinetur animus, ſtatim ad maligna redeatur ſtudia, atque etiam contra eum delicta, & peccata accumulentur, neque ullus delinquendi fiat modus, ac menſura; quidni DEUS gratiarum modum ponet, ac menſuram, dum harum nullus ſperatur fructus, contingetque iſtiusmodi, quod ficui aridæ evangelicæ, aut ſervo talentum, ſeu mnam ſuam negligenti, accedente præſertim criminum cumulo, numeroque, quibus ſe magis, magisque ineptum homo reddit aſpirantis Numinis gratiæ aura, quæ mentem excæcant, voluntatem obdurant in malo, in deſperationem hominem agunt, aut e contra proiectum in omnem licentiam faciunt, DEO in iuſtam criminum permittente vindictam?



a) Iac. I. 18.

Voluntatis humanæ perversitas, malarumque consuetudinum callum obductum difficillime sanatur.

II. Quid si deinde corruptæ naturæ nostræ, atque in malum pronæ conditio attendatur, cui nisi identidem divinæ gratiæ, auxiliique præsto sint suppetiæ, semper in peius fertur, & quo profundius ruit, eo difficilius resurgit. Vires surgendi debiliores evadunt, dum contra mali cupiditas crescit, natura ad malum suapte proclivis vitiis assuescit. Quantæ vero molis sit inveteratam consuetudinem exuere quis ignorat? Necessum foret, DEUM multo efficacioribus subsidiis adesse, quam ante scelerum cumulum, ante contractam malam consuetudinem: quorum tamen iam indignior, immerentiorque longe est homo, postquam quis vitiis frena laxavit, atque in omnem licentiam præceps proruit: postquam malum invalescere, corroborari, altasque radices capere non tantum segnitie, incuriaque sivit, permisitque, verum etiam studiose, malitioseque præbuit causam. Quam difficulter voluntas ita affecta inclinanda sit, ut serio eæ res displiceant, quæ iam tantopere placent, quibusque

intime

intime delectatur, facile coniicitur: quod tamen summe necessarium ad dignos pœnitentiæ fructus edendos. Quantæ futurum sit operæ, nemo non videt, vitiis assuetam naturam corrigere, in ordinem redigere, a mala consuetudine deflectere. Cito ita rebus se habentibus callum obducit perversus animus, ut vel animum despondeat, desperetque, vel salutis curam omnem deponat, aut præsumtione nunquam defuturæ divinæ misericordiæ de die in diem differat: quid aliud tali homini exspectandum sit, quam evangelico illi servo a), qui moram faciente Domino cœpit percutere conservos suos, manducare, & bibere cum ebriosis: *Veniet*, æternæ veritatis recito verba b), *Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.* Essent vires divinæ gratiæ, quibus ad officium revocaretur, qui eiusmodi est,

K 5 vo-

a) Matth. XXIV. 44.

b) Ib. v. 50.

voluntas a mala conſuetudine ad frugem reduceretur, ſed homo ſe immerentem reddidit: cum aſpiraret, neglexit tempus acceptabile, dies ſalutis. Non eſt tardandum converti ad Dominum, nec differendum de die in diem, ne ſubito veniat ira. Diſcamus cum timore, & tremore ſalutem noſtram operari, ignotus eſt numerus, & menſura, ignotum divini Iudicis peremtorium decretum, ignotum DEI vindicis conſilium. *Quam ſecretus es,* olim inquiebat S. AUGUSTI-
a NUS a) in ſimili cauſa, qua DEUS permittit errare in vindictam reiectæ, aut ſpretæ gratiæ, *habitans in excelſis in ſilentio, DEUS ſolus magnus ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas cupidita-*
b *tes.* Et alibi b): *Illa eſt enim peccati pœna iuſtiſſima, ut amittat quisque, quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet: id eſt autem, ut qui ſciens recte non facit, amittat ſcire quod rectum: & qui recte facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit.*

III.

a) L. I. Conf. n. 29.
b) Id. L. III. de lib. arb. n. 22.

III. Tali in malo inveteratæ voluntatis exiſtente cauſa, haud abſimilis illa etiam perverſi intellectus exiſtit, ad quem maxime ſpectat illa peccati in Spiritum S. ſpecies, qua agnitæ veritati reſiſtitur: & res cum primis patet in hæreticis, in quibus frequentiſſimum eſt peccatum in Spiritum S. imo niſi hoc interveniat, ut agnitæ veritati reſiſtant, quod in ſimplicioribus ſive ætate, ſive indole. Siquidem non contingit, de eorum ſalute ob hæreſis ſolum crimen, niſi alia accedant peccata, deſperandum adeo eſt. Enimvero integras nationes, imo orbis partes tanta cæcitate percelli, præiudiciis tantis involvi, quibus maior pars a teneris imbuuntur unguiculis, ac veluti materno combibunt cum lacte, quam res formidanda eſt? Nec aliud iſtic dicere licet, ac percipere valet humana intelligentia, *quam fidem donum DEI eſſe.* Cernere eſt iam eas gentes, atque regiones, in quibus olim florentiſſima fuerat religio, nunc tetris errorum tenebris immergi, vixque unum, & alterum aliquando emergere. Quæ enim

Agnitæ veritati reſiſtere dum non deſinunt hæretici,

Iu-

Iudaicæ gentis obſtinationis fuit cauſa, quod velamen ante oculos, & mentes, ut fidei lumen non perſpicerent, & adhucdum in tenebris palpitent, niſi quam in eis Chriſtus carpit blaſphemiam Spiritus, & exprobravit in Actis STEPHANUS, ut qui ſemper Spiritui S. reſiſterent? Hoc idem ruinæ chriſtianarum nationum eſt præcipitium: inde omnia enata pullularunt hæreſum monſtra, renitentia agnitæ veritati.

Et invidere non ceſſant bonis Eccleſiæ ſchiſmatici reiiciuntur.

IV. Haud aliter ſchiſmata funeſtum initium debent invidentiæ donorum Spiritus Sancti in Eccleſia. Percurre origines omnium ſchiſmatum inde ab apoſtolico ævo ad noſtra uſque tempora tetrum caput erigentium, cunctorum unum hunc fontem, ac ſcaturiginem deprehendes. Inter ipſos Apoſtolos orta contentio, quis eorum videretur eſſe maior? Apoſtolis prima fidei ſemina ſpargentibus, ſchiſma exortum gentilibus ſalutem invidit. Novatianum ſchiſma invidit Eccleſiæ poteſtatem remittendi

pec-

peccata, CORNELIO Sedem Romanam, quæ ipſa cauſa innumerorum ſchiſmatum extitit, tum Romana, tum aliis in Eccleſiis: ex quibus pertinaciſſimum Meletianum ob Antiochenæ cathedræ ambitum. Donatiſtis initium dedit invidia cathedræ Carthaginenſis, CÆCILIANO in eam collocato, progreſſum, & fomentum contulit Sacramentorum miniſterium, quod Catholicis, hæreticis, malis omnibus invidebant. Luciferianum ſchiſma principium ſumſit ob invidentiam reſtitutæ dignitatis, ac ordinis lapſis Arimini Epiſcopis. Deinde illud omnium deterrimum, maximum, hodieque etiamnum miſere Eccleſiam diſcerpens orientale ſchiſma matrem unicam livorem, & invidiam habet; ſucceſſorum PETRI prærogativas divinitus conceſſas, atque in Romana occidentis arce reſplendentes ſede lividis aſpiciebat oculis nova Roma Conſtantinopolis cum reliquo oriente, nec ferre poterat. Iamque tantum effluxit tempus, quo nobiliſſimam huius orbis terrarum portionem orientem eadem percellit invidia,

ex-

excæcatque DEO permittente, ut donis Spiritus S. orbæ ſint, atque deſtituantur, quæ aliis data invident. Quid enim iuſtius, quid æquius, quam eum eo fraudari bono, ob quod in alio præſens invidiæ ſtimulis agitatur! Ita igitur dum ſunt affecti tum hæretici agnitæ veritati reſiſtendo, atque eam impugnando, tum ſchiſmatici Spiritus S. munera Eccleſiæ invidendo, nec ab hac pravitate deſiſtunt, a DEO deſeri merentur, ut deinceps lumen fidei amplius non affulgeat, quatenus eo illuſtrentur mentis oculi tenebris obfuſis, nec donis Spiritus S. beentur, qui ea aliis invident, hancque mentis pravitatem deponere non allaborant. Quod primo eorum contigit, qui hoc peccato ſe contaminavit CAINO, cujus exemplo utinam abſterreantur, qui fraternæ charitati invident.

Obſecrandum eſt divinum Numen, ne quemquam ita abiiciat.

V. Univerſim vero quivis ſibi ſummo ſtudio caveat, ne ſua perverſitate eum ſe in ſtatum proiiciat, ut dignum ſe redhibeat, cui DEUS gratiæ ſuæ fontes

tes occludat, atque misericordiæ auxiliis privet, si iis abuti non cesset, cumulum, & mensuram peccatorum, reiectarumque gratiarum compleat. Quod quando futurum sit, cum ignoret homo, divinam imploret clementiam, ne eousque aberrare sinat cum Psalmista suspirando: *Ne proiicias me a facie tua, & Spiritum S. tuum ne auferas a me.* Nisi enim, clementissime DEUS, misericorditer me respexeris, in omnium miseriarum foveam cadam necessum est: si me a facie tua proieceris, cum CAIN profugus, & abiectus abibo spe veniæ omnis expers: proiicis enim, cui portas misericordiæ sic claudis, ut nunquam ultra aperiendæ sint: obstinato autem, & in peccatis obdurato, ut emendari contemnat, de misericordia præsumenti, aut diffidenti, nec pœnitenti merito claudis. Qui enim male actorum non pœnitet, nec in melius vitam commutat, dignus, qui veniam consequatur, non est. *Usque ad inferos,* ut IOB dixit a), *peccatum illius: obliviscatur eius misericordia.* Non enim misericordiam meretur,

a) Iob. 24.

tur, aut veniam, qui manet in peccato, & continuo nova veteribus addit. A facie autem tua proiicis, a quo Spiritum S. tuum aufers, eiusque gratiæ subsidia, quæ sunt spiritualis vitæ anima.



MONI-

# MONITUM
## AD LECTOREM.

*Quamvis in præfatione potissima momenta ex epistola ad Hebræos in medium produxerimus, quæ ad nostrum explicandi peccatum in Spiritum S. modum aliquid facerent: duximus tamen opportunum integram cum Paraphrasi, ac paucis notis epistolam hic apponere.*

# ARGUMENTUM
## ET SCOPUS
## EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

Tametsi S. Paulus ad prædicandum gentibus Evangelium præcipue destinatus esset, non poterat tamen, qui omnibus omnia factus erat, curam, & sollicitudinem a Judæis gentilibus, ac contribulibus suis cohibere, pro quibus etiam

anathema fieri non abhorrebat. Ut illis pro officio charitatis christianæ in temporaneis etiam necessitatibus, & egestate succurreret, nec magna, & periculosa itinera defugiebat, nec alios labores detrectabat. Igitur, qui undique terrarum apostolicas suas epistolas dispersérat, cur non ad Hebræos etiam aliquid litterarum daret? Suberat quidem causæ quidpiam, cur hoc in se muneris suscipere recusaret. Habebat infensos sibi non solum eorum Iudæorum animos, qui a christiana fide alieni erant; verum etiam eos non satis experiebatur æquos, qui Christi nomen quidem professi, nondum tamen penitus ritibus, & cæremoniis Iudaicis desuescere poterant, seseque abdicare. Verisimile est, D. PAULUM huius rei gratia nomen suum epistolæ haud præposuisse, quod tamen fecerat in aliis: nec argui inde potest, eum auctorem huius epistolæ non esse. Data ea est ad fideles solum Iudæos, & Christi fidem amplexos, quorum tanta animi in eum exacerbatio esse haud poterat, ut hinc Apostolus, qui se omnibus debitorem esse agnoscebat, supersedendum duceret in re gravissima, & cum maximo, eoque præsentaneo periculo coniuncta, officio pii pastoris, & Apostoli, cuius nec ardori, nec ditioni Evangelii annunciandi ulli erant fines, ac meta. Iudæorum multi labascere coepe-

cœperant in fide, ac ruinam minari, cum reliqua gente, quæ iam quotidie propius ad interitum, excidiumque vergebat. Hebræorum christianorum alios persecutionum gravitas, ac malorum formido, quibus ob christiani nominis professionem exponebantur, incessebanturque, concutiebat, & constantiam, firmitatemque susceptæ fidei labefactabat: alios vitia, terrenæ cupiditates, ac naturæ pravitas in transversum agebant: alii evanidas iamiam veteris legis suæ, cui assueti, ac innutriti erant, umbras adhuc deperibant, & nihil non spei, ac fiduciæ in ritibus, ac cæremoniis collocabant legalibus, secum reputantes, dictitantesque, legem datam, pactum, ac fœdus initum, testamentum confectum se inter, & ipsum summum IEHOVAH per insigne Angelorum ministerium, internuncio, ac sequestre MOYSE famulo DEI fidissimo iuxta, ac DEO amicissimo, qui eius auctoritate, nomine, ac iussu sacra ordinarit, instituto amplissimo Pontificatu, ac numeroso sacerdotio in stirpe AARON, quod non interrupta serie decurrat, ut adsint semper, qui sacris operam darent, omnibus ad hoc a MOYSE ad ipsius DEI præscriptum fabrefactis, ipso nimirum tabernaculo cum omni supellectili sacra: præsertim autem rebus sacerrimis, quæ potissimum interiore tabernaculi parte continebantur,

ſancta ſanctorum hinc dicebatur ea ſacratior pars; quo nulli aditus præ reverentia, & religione patebat, præterquam Pontifici quotannis in die expiationis: dum interim aliæ oblationes, & ſacrificia quotidie peragerentur, quorum ritibus, & perfunctionibus ſummam virtutem ibi tribuebant, utpote DEI iuſſu omnibus ſic inſtitutis. Hæc fuerat fere materiæ ſtrues Apoſtolo epiſtolam ad Hebræos ſcripturienti: maiorem autem partem ſe occupat in oſtendenda antiquorum rituum, ſacrificiorumque inutilitate, ac veteris totius Teſtamenti exigua virtute, ut hinc priore abolito, novo opus fuerit, quod longe melioribus promiſſionibus imbutum, longe maiore efficacia ſancitum, legibus non in tabulis lapideis, ſed in cordibus per Spiritus S. gratiam ſcriptis: longe præſtantiori, ac æterno ſacerdotio Chriſti ſecundum ordinem MELCHISEDECH ornatum: præſtantiore, nobilioreque ſacrificio inſtructum, ſcilicet omnibus non per Angelos, aut hominem MOYSI ſimilem, ſed ipſum unigenitum Filium DEI ordinatis, qui ſimul ſequeſter, & auctor Teſtamenti, Sacerdos, & ſacrificium non humanis manibus fabrefactum tabernaculum habuit ad ſacra peragenda, ſed virtute Spiritus S. conſtructum: non terrenum ſanctuarium Pontifex eſt ingreſſus, ſed cœleſte, nec intulit ſanguinem ani-

animalium, ſed proprium ſuum ad nos vere expiandos, ſanctificandos, & rupto velamine omnes in ſancta cœleſtia introducendos. Cui opus haud eſt ſæpius offerre, ſed ſemel oblatum ſacrificium omnia præſtat, ad nos in perfectione conſummandos, quod ſacrificia vetera infinities repetita non efficiebant. His aliiſque confirmare vacillantes animos, & novum robur addere ſtudet Apoſtolus, ut agnita imbecillitate cæremoniarum antiquarum, in virtute Evangelii, ac gratia Chriſti fiduciam omnem ponant: in doctrina fidei, vitæ puritate, & ſanctimonia perſeverent; neve ad ritus Moſaicos relabantur, qui ſint antiquati, & vergant in contumeliam Chriſti: quaſi redemtionis noſtræ opus ex omni parte non abſolviſſet. Eos vero, qui malorum acerbitate deprimebantur, oblatæ per Chriſtum gratiæ propoſita efficacia, fide item, ac ſpe promiſſionum erigit, in medium productis exemplis ex omni ævo eorum, qui fidem ſectati, & ſpe promiſſionum inducti præclara facinora, ac mira opera patrarunt: præprimis autem Chriſtum imitandum proponit, qui cum eſſet Filius DEI, atque ab æterno omni felicitate cumulatus, non detrectaverit crucis, ac paſſionis ignominiam, vitæ præſentis ærumnas perferre, ac noſtri cauſa ſimilis nobis paſſibilis fieri, ut poſſet eſſe verus noſter Pontifex, &

nos Patri reconciliatos in regnum æternum constituere; ſic ille manus remiſſas, & genua ſoluta, atque in lapſum proclivia erigere conatur, ne claudicatio in avia, & in errorem abducat, atque in caſum, interitumque præcipitet. Monitis, & adhortationibus ubique minas iungit, ne forte, ſi pergant tantam ſalutem negligere, pereffluant, ac excidant, pereantque. Si contemtus (ratiocinatur) verbi per Prophetas, & Angelos olim allati acriter vindicatus fuit, multo gravius vindicandum fore contemtum Evangelii ad nos per ipſum Filium DEI perlati. Haud obſcure prædicit ruinam populi Iudaici, cum quo niſi interire ipſi etiam velint, præſenti gratia utendum ſit. Reſiduam addit eſſe ſpem requiei, niſi, quo tempore vox gratiæ ad ipſos defertur, obdurent corda ſua, ſicut Iudæi olim in deſerto, quibus iuravit Dominus in ira ſua, non introituros in requiem ſuam. Et quoniam majores illi ſui Iſraelitæ propter incredulitatem, ac diffidentiam excluſi ſunt promiſſa requie, etiam atque etiam cavere eos iubet, ne ſit in aliquo eorum cor pravum incredulitatis deſciſcendi a DEO vivo, neve derelicta promiſſione introeundi in requiem æternam, eius fruitione fruſtrentur ſua culpa, dum gratiæ, quando aſpirat, deſint, nec præſens opitulationis tempus in ſuum traducant commodum.

dum: fruſtrationem effectus ad emendandos, perficiendosque homines in lege, ac fœdere vetere, nos ad exquirendam novam legem, & teſtamentum perducere, ſpem hanc nos conſecutos eſſe in Chriſto mediatore, ac Pontifice magno, qui penetrarit cœlos, ſedeatque ad dexteram DEI. Huius ergo eſſe tenendam confeſſionem docet: accedendum cum fiducia ad thronum hunc gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum. Et quoniam ipſi iam in iſta Chriſti profeſſione exiſtant, cœperintque de donis, ac bonis legis gratiæ participare, monet, ut per rectum uſum earum, quas iam receperant, gratiarum, ad perfectionem ferantur, non hærentes in primi fundamenti locatione, ita ut opus eſſet ſemper eis prima fidei rudimenta inculcare, primas gratiæ tinctiones repetere: utendum eſſe gratiæ ſubſidiis conceſſis, alias tempus aliquando fore, ſi poſt copioſam gratiarum menſuram adhuc peccare non deſiſtant, ut renovari amplius non poſſint ad pœnitentiam: ſcilicet infructiferam eiusmodi terram, nec niſi ſpinarum, poſt ſæpius repetitum gratiarum imbrem, feracem, reprobam eſſe, & maledictioni propinquam, cuius exitus tendat, ut comburatur. Quamvis, ne eos ex præſumtione in deſperationem ducat, meliora, & viciniora ſaluti

de ipſis ſperare ſe dicat: eoquod confidat, DEUM bona eorum opera, & laborem ex charitate ſuſceptum erga proximum ulteriori gratiarum largitione remuneraturum. Hinc petit, ut unusquisque præſtet ſtudium ad plenam ſpei certitudinem uſque ad perfectionem. Huc nos unice perducere poſſe novi Teſtamenti gratiam, ac legem novam menti, ac cordi per operantem in nobis divinum Spiritum inſcriptam, vetere Teſtamento ad hoc plane inepto, cuius ſint corporales ſolum purgationes, oblationes, & ſacrificia animalium. Cum ad firmandum Novum Teſtamentum Iesus Chriſtus filius DEI ipſe ſe in victimam pro nobis obtulerit, & a cœleſti Patre in ſua pro nobis obſecratione exauditus ſit. Huius ſanguinem, qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulerit immaculatum DEO, purgare conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum DEO. Cum habeamus ergo ſacerdotem hunc magnum, accedamus, inquit, cum vero corde, in certitudine fidei, abſterſi cordibus a conſcientia mala, & abluti corpore aqua pura, teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem, invicem nos provocantes ad charitatem, ac opera bona, nec deſerentes congregationem more nonnullorum, ſed adhortantes invicem, idque hoc magis, quod videatur dies appropinquare. Voluntarie enim,

ait,

ait, peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem quædam exſpectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ conſumtura eſt adverſarios. Tum repetit, alias non ſemel allatam comparationem, de maiore longe vindicta ab illis ſumenda, qui Novum fœdus irritum fecerint, qui Filium DEI conculcaverint, & ſanguinem Teſtamenti non hircorum, aut vitulorum, ſed Chriſti Domini ceu rem profanam duxerint, & Spiritum gratiæ contumelia affecerint. Quare vult, ut omnem curam ſanctimoniæ ſuæ gerant, ne quis ſit, qui a gratia DEI deficiat: adducto etiam Esavi exemplo terret, qui ius primogeniti, ac annexas ei promiſſiones æternas vilipendens, pro edulio vendiderit, unde reprobatus poſtea ſit, cum vellet ſortiri benedictionem, nec locum pœnitentiæ repererit, quamvis cum lacrymis quæſiſſet eam. Hortatur ergo, ut, quibus per ſuſceptam fidem in Chriſtum ius ſit ad regnum, quod in æternum non commovebitur, utantur gratia, dum adeſt, per quam ſerviant DEO, ei placentes, cum metu, & reverentia, ne iram vindicem in ſe provocent. Alia paſſim ſpargit documenta, ac monita ad pietatis quæcunque, & charitatis officia, nihil omittens, ut animos incendat ad recte decurrendum fidei, ac vitæ chriſtianæ

curſum, conſummandumque incœptum certamen: nihil remorantibus quibusvis adverſis ſeſe obiicientibus, poſito ob oculos brevi tempore tribulationum, cum æternitate gaudiorum promiſſorum commutando: patientiam igitur eis eſſe neceſſariam, & perſeverentiam uſque ad finem, ut qui iam cœperint eſſe non ſubtractionis filii in perditionem, ſicut reliqua gens Iudaica in perfidia ſua obſtinata, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

Poſtremo notandum, & ſæpius monendum, alios eſſe Iudæos, quibus Chriſtus in Evangelio blaſphemiam in Spiritum S., ac peccatum neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittendum denunciat: alios, ad quos præſens ſpectat epiſtola. Illi ſunt increduli Iudæi, ac gens iam prope interitum conſiſtens a DEO repudianda: hi Iudæi ad Chriſtum converſi, ſed vacillantes, quos adeo firmandos ſuſcipit Apoſtolus, atque periculum, certamque ruinam, & interitum ob oculos ponit, ſi unicam ipſis reſiduam in CHRISTO reſpuant ſalutem præſentiſſimam, iterum ad egena redeundo elementa contemtis efficaciſſimis ſalutis remediis, quibus a reliquorum contribulium miſerrima reiectionis ſorte liberentur.

PARA-

# PARAPHRASIS EPISTOLÆ D. PAULI AD HEBRÆOS.

## CAPUT I.

*Declarat Apostolus divini Numinis erga genus humanum curam, & benignitatem ex familiari commercio, quod se inter & nos varimode exercere non est dedignatus: primo ad nos verba faciens per Prophetas, novissime per Filium sibi per omnia æqualem essentia, & potentia, quem natura nostra indutum ad nos sibi reconciliandos, sanctos ac beatos reddendos miserit, quin inde eius dignitati decesserit quidquam, utpote qui sedeat iam ad dexteram Patris, Angelis, origine, imperio, potestate, & gloria præcellens.*

1. Per varia temporum momenta, ac vices DEUS T. O. M. Patres nostros, quos sibi in singularem populum, ac peculium elegerat, est alloqui dignatus, nec tamen nisi per Prophetas, tanquam ministros hoc præstare consueverat, qui-

bus

℣. 1. Multifariam, multisque modis olim DEUS loquens Patribus in Prophetis novissime

2.

bus varia allocutionis, & vaticiniorum ratione mentem ſuam, ac voluntatem prodidit, nunc in igne, nunc in nube, nunc per ſomnium, aut viſionem, nunc in auræ tenuis ſibilo, interdum afflatu quodam Spiritus ſui, nonnunquam per Angelos humana ſpecie conſpicuos: modo nude, & aperte: modo per varia ænigmata, & figuras myſteria pandens; At noviſſime

2. Poſtrema hora excolendæ vineæ ſuæ, diebus iſtis non iam per hominem Prophetam, ſed per unicum Filium ſuum ad nos miſſum nobis loqui voluit, atque arcana ſua cœleſtia revelare. Quod quo melius præſtaret, humanam indutus naturam adfuit, ut ſic familiari nobiſcum colloquio converſari queat. Hunc ut hominem etiam conſtituit hæredem univerſorum, ei Eccleſiam ex omnibus nationibus conſignans, quod ad cœleſtis gloriæ hæreditatem manuduceret: nec mirum, tantum illi datum eſſe poteſtatis, & dominii, cum per ipſum facta ſint iam in principio, quæ cœli terræque continentur

2. Diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula,

tur 3.

tur ambitu, tempora, ac sæcula, & quidquid istis existit, acciditque.

3. Sed cum esset ante hæc omnia iam ab æterno progrediens ex Patre, atque ab eo progenitus splendor, & lux de luce eiusdem naturæ, atque essentiæ dimanans, neutiquam tamen uti accidens in alio, sed seipso existens, licet Pater in ipso sit, & ipse in Patre, utpote figura, character, forma expressa substantiæ illius non mera similitudine, sed naturæ unitate tanquam viva, & substantialis imago, qualis Filii ad Patrem sit oportet, totam complexus Deitatis substantiam præterquam esse Patris, potentissimo Verbo suo omnia sustentans, moderans, ac regens, seipso nimirum, cum ipse sit Verbum DEI, per quod DEUS omnia gerit, & producit, atque etiam producta conservat, & collapsa restaurat: sicuti revera nos lapsos, & peccatis contaminatos purgatum venit, demittens se nostri causa, & dira quævis ipsamque mortem prô nobis sufferens, ut tamen nihil inde eius gloriæ, & maiestati

3. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.

4.

ti decesserit, quin dignus sit habitus accipere virtutem, honorem, & gloriam, ut consideat ad dexteram maiestatis divinæ omnem nactus potestatem in cœlo, & in terra:

4. Ut homo etiam potentia, auctoritate, & sublimitate tanto potior, & superior effectus ipsis beatissimis angelicis Spiritibus, quanto excellentius, & præstantius nactus est nomen Filii DEI, per unionem hypostaticam cum Verbo divino, æterni Patris Filio.

4. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.

5. Neque vero Angelus aliquis est, quem DEUS in tempore crearit, sed tanquam Filium ab æterno remota omnis temporis differentia genuerat, sicut genuit Filium hunc: & ei fore se in Patrem promisit, assumta etiam humana natura, cum qua haud minus Filius DEI esse perseverat.

5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium?

6. Utque neminem lateat, quo loco hunc suum velit haberi Filium, eum iterum in orbem terræ introducet, quando homines iudicaturus apparebit in gloria. Hunc verum

6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli eius. 7.

rum suum, & naturalem, aliis, si qui vocantur Filii DEI, longe præstantem, & superiorem Filium, Angelis in præceptis dabitur, ut tanquam DEUM, ac Dominum suum adorent manifeste, & publice, cum in primo adventu, ubi humilis apparuit, hunc aperte cultum præstari non voluerit.

7. Aliter longe divinus Spiritus de Angelis loquitur, quod nimirum pariter ac cæteræ res a DEO facti, ac creati sint Spiritus quidem expertes humani corporis, igne, subtilitate, & vi operandi longe potiores; attamen ut ministri, & executores divinæ voluntatis solum assistunt DEO.

7. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis.

8. Filio autem tanquam DEO thronum regni sempiterni, ac sceptrum, quo summa æquitate omnia moderetur, & gubernet, attribuit, quod non est ministri, sed supremi Domini.

8. Ad Filium autem: thronus tuus DEUS in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.

9. De eodem testatur scriptura, eum naturam humanam indutum ita dilexisse iustitiam, ut summo rigore per mortem durissimam ei satis-

9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit Te Deus,

ſatisfaceret, atque odio habens iniquitatem, ad eam delendam in hanc mortalem vitam veniret. Idcirco unxit te o DEUS (ſic eum Vates alloquitur) DEUS, ac Pater tuus, affluentia gratiarum, & ad ſublimiſſimam gloriam evexit etiam humanam naturam præ omnibus, qui eiuſdem tecum ſunt participes tum naturæ, ut homines, tum cœleſtis gaudii, ut Angeli.

Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis,

10. Et ut eius Divinitas, atque præ Angelis excellentia apertiſſime eluceſcat, divinus Spiritus declarat in principio eum tanquam Dominum cœlum & terram creaſſe, quod eſt opus ſolius divinæ potentiæ, & Numinis initio expertis, quod in principio iam tantum opus edere potuerit.

10. Et: tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.

11. Sicuti autem ſcriptura eum ab æterno eſſe edicit: ita ſempiternum fore deprædicat, ſecus ac res creatæ, ac etiam cœli, qui & ipſi aliquando mutationem ſufferent, omnibus ſicut veſtimentum temporum viciſſitudini obnoxiis, ac veteraſcentibus: ille autem idem ſemper

11. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut veſtimentum veteraſcent:

per 12.

per incommutabilis permanet.

12. Eſt quidem poteſtate præditus ad ipſos cœlos ceu amictum volvendos, & complicandos, unde commutentur curſu & forma. Ipſe autem idem ſemper erit, & anni eius non deficient, ſicuti curſus cœlorum variatur.

12. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

13. Atque ut ſermo ad Angelos redeat, quantum ipſi dignitate a Chriſto diſtent: nunquam illi ad dexteram DEI ſedere leguntur, ſicuti Pater cœleſtis in cœlos redeunti Filio dexteram ſuam obtulit, donec in extremo iudicio omnes inimicos eius rebelles, ac refragarios penitus ſubiecerit, quos hucusque ſuffert, non contra arcana ſuæ voluntatis conſilia, ſed in propriam perniciem adverſus verbi divini beneficia ingratos, redemtionemque negligentes.

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: ſede a dextris, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

14. Cum ipſi Angeli ſint ad hoc deſtinati, ut Filio DEI tanquam miniſtri ſerviant, in opere iſto redemtionis, & ſalutis, ad quod complendum, atque homines hæreditatis æternæ compo-
tes

14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?

tes reddendos ultro se accinxit DEI Filius, Angeli vero creati, & destinati sunt ad obsequia, & ministerium exhibendum in hoc negotio hæredum cœlestium.

---

## CAPUT II.

*Hortatur Apostolus Hebræos ad sectandum constanter Christi Evangelium, ne si tantam salutem, tot signis assertam, tanta virtute Spiritus Sancti charismatibus instructam negligant, tanto graviorem pœnam incurrant: ut autem ex eorum mentibus tollat scandalum crucis, cum prius ostendisset Filium DEI Christum aliquantum minorem Angelis effectum, quamdiu, non naturæ solum, sed etiam infirmitatis participatione, in passione, & morte nobis similis fuit, postea declarat, ita DEO Patri, decere, visum, & ita didicisse misereri infirmitatum nostrarum, ipse eas portans*

1\. Quo igitur maior est dignitas, & excellentia illius, quem nobis DEUS nostræ salutis causa misit, eo studiosius, attentiusque animum illis advertere, ac

℣. 1. Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. 2.

ac auscultare debemus, quæ nobis traduntur, denunciantur que per hunc unigenitum DEI Filium, ne forte pereamus, ac a veritate excidamus: si mentem nostram, ac corda nostra præbeamus velut vas pertusum, & rimis refertum, ut continere nequeat aquas salutares doctrinæ, & gratiæ Christi. a)

2. Si enim lex Moysis, quæ per Angelos dicitur ordinata, inviolate debuit servari, & custodiri ita ut pœnas iustas darent eius transgressores, & contemtores, quod in DEUM redundare vi-

2. Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & in obedientia accepit

a) Obscurius hic per metaphoram alibi etiam in S. Scripturis occurrentem ruinam præsagit Iudæis, si post recepta quidem, & reiecta plura in veteri adhuc Testamento DEI beneficia per præcepta, leges, admonitiones Prophetarum obtestationes &c. ultimum hoc, ac omnium præstantissimum missi unigeniti ipsius DEI Filii beneficium præterlabi sinant. *Ostendit*, inquit S. Chrysost. hom. III. in epist. hanc T. XII. Ed. Par. Montf. p. 29. D. *quod ex abundatia his magis animum adhibere oporteat. Quomodo, propemodum dicent, DEI quidem sunt hæc & illa: sed non similiter, & hoc postea nobis ostendit: interim ante hoc minus profunde adstruit, postea autem manifestius dicens; nam si illud prius culpa vacasset: & rursum: nam quod antiquatur, & senescit, est prope interitum. Sed nondum audet quidpiam eiusmodi dicere in pœmiis, donec auditorem pluribus præocupaverit, & detinuerit. Cur ergo nos oportet magis attendere? ne forte, inquit, perefluamus, hoc est neque pereamus, neque excidamus.*

videretur contemtus eius nunciis exhibitus:

3. Quanto graviore vindicta, & pœnis in nos animadvertet DEUS; si doctrinam a Filio DEI prædicatam detrectaverimus tam sanctam, & salutiferam, atque neglexerimus tam præsentem, & insignem salutem, cuius adipiscendæ via, ac ratio nobis primum ab ipso unigenito Filio DEI est exposita non in tabulis lapideis, non in nube, somniis, ac visionibus, in quæ suspicio fraudis, ac præstigii venire potuit, sed in demonstratione veritatis, & interiore convictione mentis, ac persuasione cordis: confirmata etiam, & ad nos propagata per eos, qui testes, & auditores omnium fuerunt, ab eo gestorum. a)

pit iustam mercedis retributionem.

3. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.

4. Con- 4.

a) Ex hac sententia finis & scopus totius Epistolæ colligi potest: perpetuo in eo est S. PAULUS, ut præstantia novi Testamenti præ veteri ostensa, & declarata, Iudæos ad ei firmiter adhærendum persuadeatur, ne maximas prærogativas, eius negligentes gratias per illud oblatas spernentes, atque verbum DEI, Evangeliumque per ipsum Filium unigenitum annunciatum surdis auribus prætereuntes, tanto maiori pœnæ, & vindictæ se exponant, quo maior & præsentior fuit salutis oblatio. Quod sane gens Iudaica est experta, eique in parabola de vineæ operariis a Christo haud obscure exprobratum, quod post tot missos operarios ad vineam, & repulsos tandem etiam Filium missum abiecerint, & occiderint.

4. Conteſtante DEO ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.

4. Confirmante, ac teſtimonium dictis perhibente DEO ſignis variis, miraculis, ac talibus portentis, quæ naturæ limites maxime excedunt, diverſis etiam virtutibus, quæ tum in promulganda, ac propaganda fide ſe exeruerunt, DEO intus mentes illuſtrante, corda inflammante, & convertente: tum etiam quæ in fidelibus inſigniter enituerunt, & ſe prodiderunt dona & virtutes Spiritus S. in illorum flagranti erga DEUM, ac ſeſe invicem charitate, conſtantia, fortitudine aliisque chriſtianis virtutibus, & operibus naturæ noſtræ corruptæ repugnantibus, unde vis & efficacia evangelicæ legis per intus operantem gratiam abunde conſtet; haud ſecus ac Spiritus S. dona in aliis elucent chariſmatum deſtributionibus, qui dividit ut vult, ſecundum miſericordiſſimam voluntatem ſuam: a)

nisi 5.

a) Tangit hoc, & præcedenti verſu præcipuum diſcrimen veteris, & novæ legis in exterioribus operationibus, tum etiam interioribus donis Spiritus S. unde proprie lex gratiæ dicitur, & qui poſt hæc omnia refragarii exiſtunt, peccati in Spiritum S. ſe obnoxios præbent, neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittendi, ac ſevere puniendi: quod experta eſt gens Iudaica: & eſt mens Apoſtoli in hac epiſtola Iudæos iam in

nisi se indignos præbaent, & refragarios, & oblatam salutem repudient.

5. Quæ non aliunde nisi a DEO provenire potest, qui solus habet virtutem supra naturæ vires mira patrandi, & hominum corda pro lubitu flectendi, quod fecit per Spiritum Domini, quando per effusionem donorum suorum replevit orbem terrarum.

5. Non enim Angelis subiecit orbem terræ futurum de quo loquitur.

6. Quæ maxima dona, & singularia beneficia cum cerneret in hominem conferri vates admirans exclamat: *Quid est homo quod memor es eius*, ut tantam illius rationem, ac curam habeas, *aut Filius hominis, quoniam visitas eum*, ei non solum hypostatice Verbum æternum uniens, verum etiam Spiritum Sanctum cum immensis muneribus in illum effundens.

6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es eius: aut Filius hominis, quoniam visitas eum.

7. Ac

7.

Christum credentes huius periculi commonefacere, ne tantam salutem negligant, quantam ipsi præ cæteris Iudæis acceperint: ne Spiritui S. tanta interius exteriusque molienti resistant, unde cum reliqua gente & hic, & in altera vita vindictam experturi sint, hic excisione, illic æterna damnatione.

7. Ac unigenitum quidem Filium tuum hominem factum nostri causa infra Angelos constituisti, eum nostræ naturæ infirmitati, passioni, ac ipsi etiam morti subiiciens, & tradens, ut tamen postea gloria, & honore summo decorares, quatenus ubique nomen eius gloriosum esset, & donaretur ei nomen, quod est super omne nomen, ut ab omnibus adoretur, honoreturque, data ei omni potestate in cœlo, & in terra.

7. Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Cave, ne quidquam esse putes, quod ei subiectum non sit sive visibilium, sive invisibilium, nihil enim excipitur, aut eius Dominio subtrahitur: licet nunc ante novissimi iudicii diem non videantur ei perfecte omnia subdi, quomodo tunc subiicientur, quando etiam ponentur eius inimici sub pedibus eius.

8. Omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei; nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.

9. Quem tamen iam videmus gloria, & honore coronatum propter passionis meritum, vitæ, ac mortis discrimina, quibus aliquantum inferior Angelis fuit, singulari in nos beneficio, & gratia, pro nostra omnium salu-

9. Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum Christum propter passionem mortis glo-

ſalute, ipſe ſolus mortem perpetiendam ſuſcipiens.

gloria, & honore coronatum, ut gratia DEI pro omnibus guſtaret mortem.

10. Decere enim cœleſti Patri viſum eſt, non aliter auctorem & principem ſalutis noſtræ Chriſtum quam per paſſionem ad gloriam evehere: ſicuti per paſſionem ad æternam ſalutem, & gloriam alios adducit, utpote per quem, & propter quem ſunt omnia.

10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos Filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.

11. Scilicet ut eſſet inter nos, & Chriſtum debita conformatio eandem nobiſcum naturam, & infirmitates eum aſſumere decuit, ut ſic tam ipſe ſanctificans, quam nos ab ipſo ſanctificati, ex una omnes origine iure dici poſſemus, ac communem quodammodo cauſam haberemus: idcirco non erubeſcit fratres nos compellare, cum alias infinito ab illo diſtemus intervallo.

11. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnis: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens:

12. Nihilominus ad Patrem dicit: tuum „ o Pater cœleſtis, nomen, perfungendo opere legationis meæ inter-

12. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis,

terris, prædicabo, & manifestabo fratribus meis, id est hominibus, & in medio Ecclesiæ, a me ex universis terris congregandæ tanquam unus ex illis laudabo te, ac hymnos tibi dicam.

13. Alibi idem Christus se sicut ceteri mortales spem suam omnem in DEUM Patrem suum collocaturum dicit. Et alio loco se electis suis tanquam paribus, & fratribus aggregans, una cum illis DEO, veluti ei in acceptis referendo, quod talem Sanctorum Ecclesiam esset nactus, se sistit, & de se pariter, ac illis pronunciat: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi DEUS.*

14. Quia ergo homines, quos fratres, & sodales suos vocare non dedignatur, carne, & sanguine sunt compacti, adeoque natura corruptibiles morti, & aliis miseriis obnoxii, eiusdem naturæ, & infirmitatum voluit esse particeps, ut mortem ipse perpetiendo diaboli imperium destrueret, qui propter peccatum potestatem habebat mortem omnibus infligendi corporis, & animæ:

15. Et

meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

13. Et iterum: ego ergo fidens in eum. Et iterum: ecce ego, & pueri mei, qnos dedit mihi DEUS.

14. Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum:

15. Et sic mortem ipse sufferens sponte sua, & electione propria timorem, & horrorem mortis excuteret, præsertim æternæ, quo per totam vitam concuti nos oportuit metu ob servitutem peccati, cui eramus addicti, ex qua nos eripiens Christus mortem corporis potius expetere, quam timere fecit, utpote nobis ad meliorem vitam ingressum aperientem.

15. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servitutis.

16. Quoniam igitur Christus non Angelorum, qui sunt immortales, & incorruptibiles Spiritus, sed hominum mortalem naturam assumsit, & quidem ex stirpe, & familia Patriarchæ ABRAHÆ,

16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen ABRAHÆ apprehendit.

17. Idcirco par erat, ut, cum natura communes etiam nobiscum haberet reliquas innoxias naturæ conditiones, infirmitates, egestates, ac ærumnas, affectus etiam naturales, & in his maximæ misericordiæ viscera, quo magis cor eius tangeretur commiserationis sensu ob miserias nostras, & ærumnas: & sic etiam ut Pontifex noster summa fide, & ardore præstaret, quæ agenda nostri causa erant, ad dignam pro pec-

17. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad DEUM, & repropitiaret delicta populi.

peccatis DEO satisfactionem exhibendam, ac delenda delicta.

18. Et quoniam ipse passus, vexatus, & exercitatus est per omnia, hominibus etiam, & ipsis dæmonibus nihil intentatum in eo relinquentibus, eo maiores vires, & opitulandi potentiam comparavit illis, qui tentantur, & periculosis assultibus infestantur, ut possint per merita illius viriliter decertare, & per gratiæ eius auxilia victoriam, & palmam immarcessibilem reportare.

18. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

---

## CAPUT III.

*Novæ legis præ veteri præstantiam ex legislatoribus* MOYSE, *&* CHRISTO *ostendit: cum ille fuerit Minister Testamenti, & famulus tantum, hic Filius DEI sit, auctor, conditorque omnium. Deterret Hebræos, ne exemplo Patrum suorum obdurantes corda, & oblatam promissionem recusantes, illa excidant, & severas pœnas subeant, pertinacibus, & inobedientibus paratas.*

1. Qua-

1. Quapropter fratres sancti, quoniam vocati estis ad salutem, & hæreditatem regni æterni participes bonorum cœlestium, & charismatum, gratiarumque divinarum, quibus per verbum, & semen regenerationis sanctificati estis, vires omnes intelligentiæ impendite, ad considerandas prærogativas has, quæ ad nos perveniunt per professionem fidei in IESUM, tanquam ad nos missum non solum legatum, ac bonum nuncium talium promissionum cœlestium; verum etiam ut Pontificem nos Patri reconciliantem, eique religioni, ac fidei, quam profitemur, præfectum.

℣. 1. Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Iesum:

2. Haud secus vero ac Moyses, Christus integerrime, ac summa fide perfunctus, hoc est, utroque munere, ac ministerio sibi a cœlesti Patre commisso, ac demandato, in omni loco, ac toto orbe familiam, ac Ecclesiam domum DEI propagans, dilatansque.

2. Qui fidelis est ei, qui fecit eum, sicut & Moyses in omni domo eius.

3. Quamvis ergo Moyses ob hanc suam fidelitatem,

3. Amplioris enim glo-

tem, qua delegatum ſibi officium obiit, ſua laude non eſt fruſtrandus, ac iure a vobis in honore habetur: Chriſtus tamen præ Moyse longe ampliore gloria eſt dignus, quia ipſe eſt architectus domus, & auctor, tam in prima creatione, quam etiam in ſpirituali reſtauratione, & ædificanda Eccleſia, ipſa etiam ſynagoga, cuius tamen Moyses miniſter ſolum, famulus, ac unica illius particula, & membrum extitit.

gloriæ iſte præ Moyse, dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui ſabricavit eam,

4. Qui quidem in extruenda ſynagoga ſuas partes obiit, ſed tam hæc, quam alia omnia principaliter architecto ſummo adſcribenda ſunt: unde neceſſum eſt eum DEUM eſſe, qui enim omnia creavit, DEUS eſt:

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit DEUS eſt.

5. Moyses quidem fideliter adminiſtrabat, quæ in mandatis habebat in tota DEI domo, tam ſynagoga, quam adornandi provinciam acceperat, quam chriſtiana Eccleſia, cuius typos, & figuras exhibere debebat, hincque unice famuli, ac miniſtri locum tenebat, ut de futu-

5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant:

futu- 6.

futuris teſtimonium perhiberet.

6. Chriſtus vero in domum ſuam, quæ eſt Eccleſia DEI viventis, iure ſuo tanquam Filius, & Dominus auctoritatem exercet, quatenus eſt hic militans in terris: quatenus autem eſt triumphans in cœlis, ipſe eſt hæres, & poſſeſſor: nos vero hic eam Eccleſiam conſtituimus, quam acquiſivit ſanguine ſuo, & aliquando etiam cohæredes erimus, ac membra triumphantis Eccleſiæ; ſi firmiter in ſpe permanſerimus auxiliorum & divinorum futurorum bonorum, ac fiduciam, libertatemque quidvis a DEO petendi, & exſpectandi, quod ad ſalutem neceſſarium eſt, nunquam amittamus, ſed uſque ad finem vitæ inconcuſſam retineamus: cum iure gloriemur, & in ſinum noſtrum plaudamus, tam ampla a Filio DEI nobis comparata dona, ac bona cœleſtia.

6. Chriſtus vero tanquam Filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus.

7. Quapropter monitis S. Spiritus aurem præbeamus, atque ſpei, promiſſionumque divinarum fructus carpamus, dum adeſt tempus opportunum,

7. Quapropter ſicut dicit Spiritus S. hodie ſi vocem eius audieritis

8.

num, nunc atque hodie, quod momentum ac dies gratiæ eſt, & miſericordiæ, quando ſive exteriori doctrina, & monitionum ſonitu, ſive interiori gratiæ afflatu, & Spiritus S. unctione vox Domini ad vos dirigitur:

8. Tum caveatis vel maxime, ne obfirmetis auditum mentis, atque affectum cordis, ac voluntatis veſtræ, ut non acquieſcatis verbo Domini, & Spiritus S. inſtinctui, nec præſenti gratia utamini, neglecta ſpe promiſſionum divinarum, quemadmodum non una vice olim fecerunt in deſerto patres veſtri, præſertim in loco exacerbationis, & tentationis, cui ad perpetuam rei memoriam nomen rei geſtæ inditum eſt, ut poſteris vobis eſſent documento,

8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto.

9. Quam ſceleſte, & inique potentiæ, & promiſſionibus meis diffiſi me tentaverint, experti inſignia, & admiranda opera mea, quibus illis manna plui, & veſtimenta ſarta, & illæſa conſervavi, aliaque in ipſorum gratiam magnalia feci.

9. Ubi tentaverunt me patres veſtri: probaverunt, & viderunt opera mea.

10. Per

10.

10. Per quadraginta annos: quoniam vero ad mea illis præſtita beneficia nihil attenti fuerunt, faſtidio, & indignatione in eos fui commotus, & dixi intra me ipſum, atque per MOYSEN eos commonui ſui erroris, ſi forte eum agnoſcerent, & reſipiſcerent, deponerentque cordis duritiem: at illi ſurdis ad hæc omnia auribus fuerunt, nec conſiliis meis acquieſcere, nec in illis ambulare voluerunt.

10. Quadraginta annis: propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: ſemper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas,

11. Hinc ego firmiſſime apud me conſtitui, ac iureiurando etiam me obſtrinxi, eos non intromittere in promiſſæ terræ requiem. a)

11. Sicut iuravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam.

12. Diſcite quæſo, fratres ſapere iſto exemplo patrum veſtro-

12. Videte fratres, ne

a) In hoc, & ſequenti capite S. PAULUS veluti typos, & præludia perfectæ deſertionis Iudaicæ, atque peccati eorum in Spiritum S. conſummati Iudæis in Chriſtum jam credentibus proponit, ut eos abſterreat, ne in eandem ſortem recidant, & per abiectionem promiſſionum evangelicarum requie excludantur, ſicuti patres eorum a promiſſa terra Canaan fuerunt excluſi. Sunt autem & hic deſtituti requie, cum extorres patria, ipſis in requiem data, ubique vagari debeant, & in altera vita æternæ felicitatis requie privati: in hoc, & altero ſeculo pœnam ſuſtinentes peccati neque in hoc, neque in altero ſeculo remittendi. Typum & exemplum huius reiectionis hactenus Apoſtolus expoſuit, deinceps applicatio ſequitur.

vestrorum, ne etiam in quodam vestrum sit similis malitia, ac Spiritus infidelitatis, inobedientiæ, ac diffidentiæ de promissis, & oblatis DEI donis tum in hac, tum altera vita, ut pariter discedatis, deficiatisque a DEO vivo.

ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a DEO vivo;

13. Sed mutuis quotidie adhortationibus vos erigite, & confirmate, ut nullis tentationibus a iam suscepta fide dimoveamini, idque facite nunc, dum tempus est, quamdiu hic gratiæ dies nobis adest, & prorogatur, ne præterlabi sinentes præsens auxilium, & paratam opem, a) ea subtracta, fallacibus pec-

13. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

14.

a) Hortatur hic Apostolus, ut gratia, dum offertur, utamur, ne, dum tempus acceptabile non aucupamur, illud elabatur, sicuti alibi monet: *Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies salutis: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Quodsi autem ad diem salutis non attendimus, nec opera tenebrarum abiicimus, in illis nos tandem relinquit DEUS gratiæ luce destitutos, unde obduratio cordis oriatur necesse est. *Hæc autem induratio,* inquit D. THOMAS in hunc locum, *ex duobus causatur, ex uno quasi negative, scilicet DEO non apponente gratiam Rom. 9. cuius vult, DEUS miseretur: & quem vult, indurat. Ex alio positive, & hoc modo indurat peccator seipsum non obediendo DEO, & non aperiendo cor suum gratiæ. Et sicut corpora,* sunt verba CHRYSOSTOMI, Hom.

peccati illecebris decepti in obdurationem cordis incidamus.

14. Iam enim christiana religione initiati participes facti sumus meritorum, gratiarum, hæreditatis, ac omnium Christi promissionum: si modo, quod per fidem, & regenerationem spiritualem in eo esse cœpimus, quamque meritorum, gratiarum, ac promissionum portionem nacti sumus, ea utamur, ac semper fideliter, & constanter teneamus:

14. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius usque in finem firmum retineamus:

15. Donec perdurat tempus illud, de quo per Spiritum S. dicitur: *hodie si vocem eius audieritis*, illiusque inspirationes, & gratiæ opem percipitis, nolite illis claudere, & obdurare corda vestra, sicut fecerunt patres vestri olim in illa exacerbatione, qua me ad iracundiam provocantes, decretum eos repellendi a promissa requie in suum caput elicuerunt.

15. Dum dicitur: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16. Non quidem in omnes, quos ex Ægypto Moy-ses

16. Quidam enim au-

VI. T. XII. p. 61. C. *quæ occaluerunt, & duritiem contraxerunt, non cedunt manibus medicorum, ita etiam induratæ animæ non cedunt verbo DEI.*

es eduxit, hæc repulſionis
ententia lata eſt, ſed in il-
os ſolum, qui audientes, &
identes opera mea, & ex-
erti manum opitulatricem,
t virtutem, nihil moti in ſe
)EI iram provocaverunt.

audientes exacerbave-
runt, ſed non univerſi
qui profecti ſunt ex
Ægypto per Moysen.

17. Iuſtam utique incur-
entes DEI offenſionem, ac
dium, quia hoc peccatis ſuis
romeriti ſunt, ut DEI ma-
ium vindicem experirentur:
um quadraginta illis annis
n deſerto, ubi eorum ca-
lavera proſtrata relicta ſunt,

17. Quibus autem
infenſus eſt quadraginta
annis? nonne illis, qui
peccaverunt, quorum
cadavera proſtrata ſunt
in deſerto?

18. Tum excluſione a
romiſſa terra, quam etiam
lteram pœnam illi ſolum
ubierunt (DEO iurante, &
firmiſſime decernente in ira
ua) qui fidem divinis pro-
miſſionibus detrectarunt.

18. Quibus autem
iuravit non introire in
requiem iipſius, niſi il-
lis, qui increduli fue-
runt?

19. Non igitur in divino
iudicio pravitas aliqua, vel
acceptio perſonarum depre-
hendi poteſt, ſed propria
quisque culpa hanc excluſio-
nem promeruit, cum initio
quidem omnes promiſſi di-
vini communicatione gau-
dere cœperint, ſimul educti
ex Ægypto, ſed propter in-
fidelitatem, & incredulita-
tem de divinis promiſſioni-
bus

19. Et videmus,
quia non potuerunt in-
troire in requiem ipſius
propter incredulitatem.

bus ab obtinenda requie sunt repulsi, nec potuerunt in illam introire.

## CAPUT IV.

*Hortatur Apostolus, ne Iudæi iam ad Christum conversi, & promissionem æternæ requiei adepti, exemplo patrum ex Ægypto egressorum fraudentur: quod revera accidit genti Iudaicæ tempore Christi, sicut Hebræis in deserto: demonstrat residuam adhuc esse requiem, eamque longe nobiliorem, quam terra Canaan, utpote in hac, & illa sabbati requie tantum figurata. Monet, ut verbo DEI credant: quod sit efficax in minis, & promissis, hinc fiduciam in Christum commendat.*

1. Timeamus ergo, & sollicite caveamus, ne exemplo Israelitarum divinis promissionibus diffidentium, dum adhuc nobis superest pollicitatio novæ, ac æternæ quietis, in cœlesti patria fruendæ, desit huic exspectationi quisquam, ac semetipsum frustretur, defraudetque, similiter ac illi, prohibi-

℣. 1. Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse,

2.

ibitus cœlesti hæreditate, um tempus opportunum ræterit, & ad vocem Domii invitantis obsurdescit, ac or obdurat.

2. Accepimus sane & nos romissiones pariter ac illi: iobis etiam denunciata, atque oblata est requies longe beatior, ipso DEI Filio Evangelium, ac bonum nuncium stum afferente: sed nihil profuit incredulis illis promissionis huiuscemodi sermo auribus quidem perceptus, cui tamen fidem non adhibuerunt, quam conciliare debuerant, certamque spem, ac ardens desiderium instillare, & incendere ipsa, quæ audierant, promissa benedictionibus plena. a)

2. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quæ audierunt.

3. Er- 3.

a) Cum textus græcus in primo præsentis capitis versiculo solummodo effectum exclusionis a requie promissa innuere videatur, causis in sequentem orationem dilatis, interpres statim causam saltem generalem addit, indicans nos nobis ipsis deesse, si fraudemur, excidamusque promissione: hoc enim consilium Apostolo est, proposito Iudæorum exemplo, Iudæos christianos deterrere, ne sua culpa repellant oblatam requiem, & salutem: quod illi olim fecerunt fidem minime adhibentes promissionibus per MOYSEN factis, neque etiam renunciantibus IOSUE, & CALEB de statu terræ promissæ credentes, inobedientes, & rebelles. Quod pariter contingere potest, qui Evangelium annunciatum, verbum DEI per ministros prædicatum,

3. Ergone & nobis ſupereſt ingreſſus in requiem? ſupereſt certe ſempiterna nobis requies, ſi modo id firma fide credamus, & indubitata in DEUM fiducia divinas promiſſiones præſtolemur. Sicuti enim diffidentia, & incredulitas de divinis promiſſis DEUM induxit ad negandam præparatam requiem, ſic fides noſtra in DEUM, ac fiducia efficiet, ut oblatam nobis longe præſtabiliorem, cœleſtem nimirum, & æternam requiem adipiſcamur; cum ſolius huius requiei exſpectatio reſidua ſit, utpote iam præterlapſa illa tam promiſſæ terræ Canaan, quam diei ſeptimæ poſt opera creationis huius mundi perfecta, poſt quas binas, atque ad harum typum, & exemplum adhuc tamen facta eſt requiei alicuius pollicitatio.

3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: ſicut iuravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis.

4. De requie quidem illa diei ſeptimæ, quando DEUS completo opere creationis intra ſex dies, quievit, quemadmodum etiam beati poſt huius

4. Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: Et requievit DEUS die

exhortationes, dehortationes, aliaque pædagogica, & homiletica adminicula ſurdis auribus negligunt, increduli, inobedientes, rebelles: prout nimirum terra eſt, in quam cadit verbum DEI: non enim ſemper verbum DEI in terram bonam incidit, ut fructificet, ſed viam, ſpinas, petram &c.

huius mundi finitos labores requiescent in æternitate, relatum est in Scripturis requiesse DEUM die septima ab omnibus operibus.

die septima ab omnibus operibus suis.

5. Et in illo, quem iam laudavimus, psalmo de altera requie sermo habetur, ac dicitur: *si introibunt in requiem meam*, ut ostendatur, paratam eam fuisse, nisi ea se indignos præbuissent.

5. Et in isto rursum: si introibunt in requiem meam.

6 Quoniam ergo ad hanc requiem non pervenerunt Israelitæ ob diffidentiam, & incredulitatem de hac promissione, & Propheta tamen de alia adhuc, quæ supersit, loquitur requie, reliquum est, ut loquatur de sempiterna requie, ad quam christianæ fidei professione aditus nobis patet.

6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ii, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem:

7. Alias enim frustra post tantum temporis intervallum a Moyse usque ad David per hunc ipsum Psaltem Spiritus S. alium quemdam diem præfiniret, ac determinaret *Hodie* dicendo, quo tempore consistente in requiem introeundi facultas nobis sit, si modo ad vocantis vocem non obduraverimus corda, sicut

7. Iterum terminat diem quemdam. Hodie, in David dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est: hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

ſicut in illa exacerbatione, & tentatione fecerunt Iſraelitæ.

8. Si enim Iosue ſuis illis, quos in terram promiſſionis introduxit, perfectam, & veram requiem præſtitiſſet, ſcriptura non loqueretur de alia die, quæ nobis præfigitur, ut, niſi præterire eam ſinamus, in aliam longe præſtantiorem requiem introire valeamus.

8. Nam ſi eis Iesus, requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die.

9. *Quænam eſt ergo alia requies, quam regnum cœlorum, cuius imago, ac typus eſt ſabbatum?* a) Hic ſabbatiſmus relinquitur, atque exſpectatur populo DEI poſt hanc vitam, ut qui ſtrenue hic laboraverint in implendis DEI præceptis, & fideles Deo extiterint, ac fidelem etiam eum fore in ſuis promiſſionibus minime dubitantes, quidquid ad eas conſequendas hic agendum incubuit, ſancte perfecerint, ad æternam requiem in cœlos transferentur, operum ſuorum, ac laborum mercedem ampliſſimam imperturbata requie recepturi,

9. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo DEI.

10. Ut

10.

a) S. Io. Chrysost. Hom. VI. in cap. 3. Epiſt. huius T. XII. p. 63. A.

10. Ut haud ſecus, ac DEUS olim die ſeptima poſt abſolutum creationis huius mundi opus requievit, omnis, quicunque ad hunc ſabbatiſmum, ad hanc requiem pervenerit, ſepoſito omni labore, & defatigatione placidiſſime conquieſcat.

11. Demus ergo operam, nec quid moremur, ut, dum dies adeſt, & tempus ſuppetit, ad beatitudinem illam pertingamus, ne, ſi vocationem divinam tempore opportuno negligamus, in eandem infidelitatem, ac incredulitatem prolapſi, eorundem etiam exemplo requie optata excidamus, & in ſempiternam perniciem incidamus.

12. Ut vero nemo dubitet, omnia virtute ſua præſtare poſſe DEUM, tum quod promittit, tum quod minatur, norit vim, atque efficaciam illius verbi exterius, interiusque aſpirantis eſſe talem, ut multo penetrantior quovis gladio utrinque incidente, ad intima animæ, ac Spiritus penetralia non ſolum compagum corporis, ac medullarum pertingat: con-

10. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis DEUS.

11. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus eſt enim DEI ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac Spiritus compagum quoque, ac medullarum, &

 di-

convertit namque corda, quo vult; illuſtrat mentes, & ſuaviter ſimul, ac fortiter flectit quocunque libeat, prout nimirum diſcernens cogitationes, & intentiones cordis, hominum animos, ac ſtudia reperit, ſic, ut tamen aptitudo ab ipſa Verbi ſui efficacia, ineptia autem ab hominis perverſitate proveniat;

diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.

13. Neque is, a quo hæc expectamus, atque de quo hic agitur, eiusmodi eſt, ut quidquam eum lateat, ac ab eo abſcondi poſſit, aut quis eum fallat, fingens ſe alium eſſe, aliudque deberi quam ipſo opere meretur, eius enim oculis omnia nuda, & aperta ſunt, nec ullus eum hypocritico animo invocare valet.

13. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo.

14. Quoniam vero potentia ſumma pollet magnus hic, præ Aaronico, Pontifex, qui noſtro bono, ac emolumento factus eſt Sacerdos, & penetravit cœlos: conſtanter ei adhæreamus, ac fideliter permaneamus in fide, quam in eum ſumus profeſſi, firmiſſimaque in eum fiducia omnia ab eo nobis ſperanda

14. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei: teneamus confeſſionem.

randa intelligamus, ut Pontifice nostro.

15. Qui præterquam, quod omnia nobis flagitantibus dare queat, etiam sensu infirmitatum nostrarum maxime afficitur: cum, excepta labe peccati, omnes alias (factus nobis similis) infirmitates nostras in se ferre, ac experiri non detrectaverit.

15. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16. Cum ergo hic magnus Pontifex noster expertus miserias, opis ferendæ necessitatem optime norit, atque libera naturæ, infirmitatumque nostrarum susceptione ostenderit, quam sit affectus erga nos, quamque paratus opitulari: quidni cum summa fiducia, & certa auxilii spe illum exoraturi iugibus precibus accedamus a), qui omnes ad se venire iussit laborantes, & oneratos, & cum fide petentibus nihil non pollicitus est, atque ad dexteram DEI sedens in cœlum rediens, thronum

16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

17.

a) Sic nos gnari infirmitatis nostræ, & necessitatis divinæ gratiæ, adorandum divinum Numen accedimus, quatenus precibus nostris impetremus in tentationibus, & necessitatibus nostris auxilium opportunum, & congruum ad superandas quasvis difficultates. Hinc etiam hic, & consequenter urget doctri-

num gratiæ erexit: adeamus ergo hunc thronum gratiæ, cum adhuc tempus eſt, ut miſericordiam, & veniam noxarum conſequamur, & neceſſarium, congruumque gratiæ præſidium conſequamur, ne, ſi hanc temporis opportunitatem neglexerimus, effugiat tempus, & thronus ſeveri iudicii loco throni gratiæ contra nos erigatur.

## CAPUT V.

*Summi Pontificis a DEO conſtituti munus eſſe declarat Apoſtolus, ut ſit ſequeſter inter DEUM, & populum, dona, & ſacrificia offerat: quod optime Chriſtus præſtiterit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: cuius etiam ſupplicationes exauditæ ſint; & ſacrificium ſit cauſa noſtræ ſalutis: quamvis fateatur, Hebræos, ad quos ſcribit, non eſſe capaces ad myſteria Chriſti ſolide intelligenda.*

1. Omnis

nam de Pontificatu, & Sacerdotio Chriſti, quia Pontifex, & Sacerdos conſtitutus eſt in illis, quæ ſunt ad DEUM, ut mox PAULUS oſtendit, ad delicta expianda, propitium Numen reddendum, beneficia, & gratias afflagitandas: debemus ergo hunc Pontificem accedere, ut hæc omnia nobis præſtet, imo ut fructum horum omnium iam pro humano genere præſtitorum exoremus.

1. Omnis namque Pontifex ex hominum numero, atque eiusdem cum reliquis naturæ particeps assumitur, & pro hominibus constituitur tanquam sequester, & curator; ut in illis rebus, ac negotiis, quæ inter DEUM, & homines aguntur, interpellet pro hominibus, offeratque diversa donorum genera, ad impetranda divina beneficia, ad gratias pro acceptis referendas, seu ad contestandum supremum ei adorationis cultum, cumprimis etiam sacrificia, & victimas ad expianda peccata, placandum offensum, ac reconciliandum iratum Numen.

2. Idcirco autem Sacerdotes, & Pontifices congeneres, atque eiusdem nobiscum naturæ esse vult DEUS, ut tum naturalis necessitudo, & cognatio, tum earundem, quas nos circumferimus, infirmitatum sensus ad lenitatem, & commiserationem compositos flectat ad condolendum infirmitatibus, & moderandum affectum erga illos, qui aut ignorantia, aut alio errore decepti per natu-

ræ

℣. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.

2. Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.

3.

ræ infirmitatem, & corruptionem labuntur.

3. Quam ob rem necesse habet non minus pro seipso orare, & offerre hostias, aliasque oblationes pro remissione peccatorum, quam pro populo.

3. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.

4. Neque sese quisquam ad hunc sacri ministerii honorem intrudere valet, sed vocatio, & ordinatio a DEO est accipienda, sicuti AARON est a DEO delectus, atque vocatus.

4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a DEO tanquam AARON.

5. Neque ipse Christus hanc Pontificatus amplitudinem usurpavit, sed eandem recepit a DEO Patre suo, a quo ab æterno genitus, & in arcanis consiliis destinatus ad hoc officium quondam obeundum.

5. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

6. Unde quodam loco veluti initiando, & ad sacerdotium inaugurando DEUS illum alloquitur: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem MELCHISEDECH: ubi ordinatio eius Sacerdotii in æternum duraturi significatur.

6. Quemadmodum & in alio loco dicit: tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem MELCHISEDECH.

7. Qui

7.

7. Qui quo tempore secundum carnem infirmabatur, & opus sacerdotii sui peragebat, præsertim quando se iam victimam per passionem, & mortem offerebat, preces, & supplicationes cum clamore valido, & lacrymis effudit ad Patrem cœlestem, qui potens erat illum, & omnem populum suum a morte salvare, ipsum a morte resuscitando, reliquos ab æternæ mortis damnatione liberando, exauditus est propter suam modestiam, reverentiam, & obedientiam.

7. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.

8. Et cum esset quidem Filius DEI, non dubitavit tamen ex iis, quæ passus est in assumta natura humana experiri in summa patientia obedientiæ laborem;

8. Et quidem, cum esset Filius DEI didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam,

9. In qua etiam consummatus est, utpote factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Id quod ipsum est sacrificium illud salutem æternam præstans omnibus Christum sequentibus, atque illius præcepta servantibus.

9. Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, caussa salutis æternæ.

10. Apellationem idcirco a DEO, & dignitatem Pontifi-

10. Appellatus a DEO Pon-

tificis consecutus est, & quidem iuxta ordinem MELCHISEDECH.

Pontifex iuxta ordinem MELCHISEDECH.

11. De hoc Sacerdotio Christi iuxta ordinem MELCHISEDECH multa nobis dicenda forent, sed nimis difficile est hæc vobis explicare, & interpretari: qui ad intelligendum minus aptos vos effecistis, quoniam estis incircumcisis auribus, vestræque legi sic insenuistis, ut aliis omnibus aures occludatis, obduretisque, illis minime attenti, quæ vobis exterius, interiusque ad vestram salutem proponuntur.

11. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

12. Etenim cum sic instructi esse deberetis in mysteriis christianæ fidei, ut etiam aliorum magistri, & doctores esse possetis, cum a primo tempore DEI ad vos sermo, & Evangelium per Christum ipsum delatum sit, & in legis etiam vestræ voluminibus satis præparationis, exercitationisque ad omnia perspicienda habeatis, sit tamen ob duritiam cordis, & pervicaciam, obstinationemque cervicis duræ, ut opus sit doceri rursus, quæ sint prima elementa, & exordia ser-

12. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum DEI: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.

ſermonum DEI, in umbrarum, & figurarum imaginibus veteris Teſtamenti de ceſſatione veteris legis, & Sacerdotii, utpote inſufficientis ad ſalutem afferendam, ut hinc novam legem, & Sacerdotium ſurrogari per Chriſtum neceſſum fuerit: ſed de hoc non potui vobiscum loqui expoſitione ſimplici, atque ſolidæ veritatis vobis veluti ſolidum cibum dare: ſed debeo vos paſcere lacte primorum rudimentorum, rurſusque elementa ſermonum DEI exponere.

13. Quo lacte quicunque adhuc tantum paſcitur, inexpertus, rudis, ac ineptus ſit oportet, ut ſermonem de perfectione, & ſanctitate iuſtitiæ chriſtianæ, quæ per Chriſtum nobis confertur, percipiat, utpote ad hoc nimis parvum, haud ſecus ac infans, ſenſum habens.

13. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: parvulus enim eſt:

14. Sed perfectorum, atque in lege Domini adultorum, qui non in vetuſtate litteræ, ſed in novitate Spiritus verſantur, eſt ſolida, ac profundior doctrinæ Evangelicæ, & myſteriorum divinorum cognitio: qui diuturno,

14. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.

no, ſerioque ſtudio in ſacris ſcripturis ætatem triverunt, easque die ac nocte meditantes abditos eorum ſenſus inveſtigarunt : quique ſenſus habent exercitatos in divinis contemplationibus, DEO illuminante, & pro bono ſtudio, & pia intentione mentem illuſtrante divinæ gratiæ radiis, ut poſſint diſcernere bonum a malo, falſum a vero : ſermo enim non admiſtus fidei, quæ eſt donum DEI, nihil proficit. a)

# CAPUT VI.

*Docet Apoſtolus, quantum periculum ipſis immineat, ſi in primis Evangelicæ doctrinæ, & gratiæ fundamentis, & principiis nondum ſatis confirmati ſint, ut iterum ea inculcari ſit opus,*

*&*

a) Ex ſequenti mox capite patebit, poſſe etiam referri, quæ Apoſtolus de ſolido perfectorum cibo, ac lacte imperfectorum dicit, ad prima fidei rudimenta, gratiasque illas, quæ promiſcue offeruntur, agnitionis ſtatus corrupti, denunciationis primæ fidei, Sacramentorum, quibus initiamur, primamque gratiam, ac Spiritum S. accipimus, ſpei item æternæ vitæ, aut damnationis, unde ad bene agendum incendimur, & a malo avertimur, quæ ſunt initia gratiarum divinarum, ex quorum bono uſu amplior gratiarum elargitio frequenter ſolet dependere.

*& necessarium foret repetere prima gratiarum dona, eoquod eorum malum usum fecerint: Unde hortatur, ne pergant oblatas gratias negligere, ac respuere; alias futurum, ut post acceptam longam gratiarum seriem, & mensuram rursus prolapsi, & peccata cumulantes non amplius renovari ad pœnitentiam eos contingat: quamvis bene de illis speret adhuc, confidatque DEUM ob officia charitatis, quæ præstent, gratiam non subtracturum, si modo pergant, & perseverent in spe promissionum.*

1. Quapropter, excussa illa tarditate quorundam, & imbecillitate, ut tanquam adhuc infantes lacte doctrinæ opus habeant, atque omissis primis principiis, & rudimentis, quibus rudes primo solent imbui, atque ad christianam religionem formari, feramur impellente aura S. Spiritus (quo qui aguntur, sunt Filii DEI) ad perfectiora: non in primis elementis institutionis, ac catecheseos hæreamus: cuius hæc sunt capita: agnitio, & confessio peccati, & resipiscentia, ac pœnitentia a mor-

℣. 1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad DEUM;

 2.

mortuis operibus prioris vitæ, quæ ante baptiſmum agitur, quaque primum homo ad DEUM ſe convertit, fidei in DEUM prima denunciatio, primique articuli.

2. Elementa item doctrinæ de baptiſmis IOANNIS, Chriſti, ſive fluminis, ſive flaminis, ſive ſanguinis: impoſitionis quoque manuum ad conferendum Spiritum Sanctum, ac eius dona: reſurrectionis item mortuorum, ac extremi iudicii, & æterna ſive in cœleſti gloria, ſive in infernali damnatione huius iudicii ſententia. a)

3. Ab his vero primis fundamentis Evangelicæ gratiæ ad perfectiora feremur, ſiquidem ad hoc DEUS ſuam gratiam concedat, neque a nobis immerentibus, & hæc initia ſuorum donorum male collocantibus ulteriora gratiæ munera ſubtrahat, non per-

2. Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicii æterni.

3. Et hoc faciemus ſiquidem permiſerit DEUS.

4.

a) Magna vis eſt in hac ſententia D. PAULI ad terrendos Iudæorum animos, ne forte cumulum ac menſuram peccatorum, & reiectarum gratiarum impleverint, ut DEUS iam non det eos ad perfectiora ferri, propter infidelitatem in primis fundamentis ædificii ſpiritualis: ubi DEUS tantum agit permittendo homines ſenſui ſuo reprobo, & deſerendo gratia, non malum ipſum efficiendo.

permittens, ut illis bemur. a)

4. Qui enim tot, & tantas gratias receperunt, primo omnia illa documenta, quibus ſive ante, ſive poſt baptiſmum ad fidem imbuuntur homines, & aſpirante etiam interiore gratiæ luce perfunduntur: ſenſerunt etiam oblectationem, & guſtum ſuavitatis gratiæ cœleſtis, & charitatis, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per gratiam iuſtificantem, & ſanctificantem, atque cœleſtem unctionem internam: participes etiam facti ſunt Spiritus S., ac donorum eius pro variis diviſionibus, ac diſtributionibus chariſmatum illius ſecundum menſuram donationis Chriſti:

5. Guſtaverunt præterea, & non ſolum hauſto intellectu, ſed etiam percepto gra-

4. Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti,

5. Guſtaverunt nihilominus bonum DEI ver-

a) S. Paulus hic loquitur, ut ſignificavi quatuor poſtremis ſuperioris capitis commatibus, de illis primis gratiæ initiis communiter diſpenſari ſolitis, quorum bono, aut malo uſu ulteriora aut accipiant, aut fruſtrentur. Nimirum ſunt omnes gratiæ ſpecies recenſitæ: reſipiſcentia ab operibus mortuis, quæ homini ex corruptione primæva adiacent, fides in Chriſtum, Sacramenta, propoſita ſpes felicitatis, aut damnationis æternæ unacum corpore reſurrecturo.

grato ſuavitatis affectu iucundiſſime affecti ſunt ex verbo vitæ æternæ, doctrina evangelica, promiſſionibus, quæ ab Apoſtolis olim, nunc a miniſtris Eccleſiæ expoſitæ ſunt, aliisque viis, ac rationibus innotuerunt, legendo, audiendo verbum DEI, ac ſermones pædeuticos maxime conſolatorios, adhortatorios intima animum dulcedine permulcentes, iuncta interiore gratiæ unctione, ad nos inflammandos, roborandos, & aliis innumeris modis afficiendos: tum porro virtutes futuri ſeculi in retributionibus, & præmiis in futura vita propoſitis non tantum intellexerunt, verum etiam quadam inchoatione, & prægustu perceperunt,

verbum, virtutesque ſeculi venturi,

6. Itaque qui poſt tot, ac tantam gratiarum, & chariſmatum menſuram ad cumulum præcedentium peccatorum rurſus prolapſi ſunt in infidelitatem, ac alia enormia ſcelera, idque ſcientes, atque prudentes ſtudioſa opera, & deliberata voluntate: hos iterum renovari ad pœnitentiam impoſſibile eſt, non abſolute, ſed quod futurum non ſit, ut DEUS tantis

6. Et prolapſi ſunt: rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI, & oſtentui habentes.

tis donorum suorum contemtoribus gratiam veræ pœnitentiæ largiatur a); cum hi, quantum in se situm est, rursus crucifigant Filium DEI, & ostentui habeant, eius pretiosum sanguinem ita pessumdantes, & merita redemtionis, gratiasque inde in nos redundantes ludibrio exponant, & contemtui, ac si minime sufficerent ad delenda omnia peccata.

7. Neque DEUS merito hinc argui potest, ac incusari, quod obstinatis huiusmodi non semper largos gratiarum fontes aperiat. b) In terræ enim

7. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans

a) Haud obscure istic peccatum Iudæorum in Spiritum Sanctum neque in hoc seculo, neque in altero remittendum indicatur, & veluti Iudæis ad Christum conversis proponitur, ut mala suæ a se avertant gentis, quæ non multis post scriptam hanc epistolam annis experti sunt in pœnam ac vindictam peccati sui, quo erga tot sibi concessa Spiritus S. singularia charismata, ac in eorum gratiam edita opera, mentem ac corda sua obdurantes in infidelitate sua permanserunt, DEO post completam mensuram hic gentem excidente, & usque ad extremum tempus in excæcatione relinquente, in altera etiam vita pœna eos manente æterna.

b) Ex his duobus versibus explicatio peccati in Spiritum S. apertissima patet: nimirum malo usu gratiarum, qua homines veluti cœlesti pluvia irrigati, nec sic frugiferi facti sunt; hinc autem insignis lux pluribus parabolis evangelicis de seminante, vinea, zizaniis aspergitur, ubi DEUS statum Iudæorum tot

enim fertilitate accidere videmus, ut DEUS benedictionem ubertatis ei terræ conferat, quæ solet imbrem super se venientem combibere, atque utilem, a quibus colitur, generare herbam.

rans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a DEO.

8. At quæ recepto semine produxerit spinas, & tribulos, reproba est, & proxima maledicto, ut demetatur, excidaturque, atque igne comburatur. Sic etiam DEUS semina pietatis per exteriores, interioresque aspirationes, atque gratias indit, animam verbo DEI nutrit, Spiritus S. donis saginat: quod si homo recipiat, & fructificet, accedit benedictio ulterior a DEO, ut in bono confirmetur, & mereatur ampliora accipere: si autem spinas, & tribulos germinet, maledicto proxima fit, & eius consummatio in combustionem est.

8. Proferens autem spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem.

9. Quamvis autem ita loquimur, ac si in communi sitis sentina, de vobis tamen, qui iam christianæ fidei addicti

9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, melio-

gratiis cumulatorum depingit, quibus tamen nihil meliores facti: unde tandem vinea Domini indignos se præbuerunt. Videatur inter alios S. CHRYSOSTOMUS in hunc locum.

dicti estis, confidimus meliora, atque viciniora saluti, ut non in eam cum ceteris contribulibus Iudæis sortem incurratis, utpote qui iam saluti propiores sitis.

10. Dominus enim iustus, & fidelis remunerator non obliviscetur, nec feret inutilia esse vobis opera vestra, & mercedis expertia, præsertim dilectionem vestram, qui pro amore DEI ministratis fidelibus, eis in ipsorum necessitatibus succurrendo, de quo pietatis opere nec modo cessatis. a)

11. Dummodo, quod impense cupimus, ac desideramus, omnes vos in hac operum charitatis sollicitudine persistatis, atque spem conceptam remunerationis, & felicitatis æternæ, quam ex Evangelio Christi percepistis, usque in finem retineatis.

12. Ne

meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.

10. Non enim iniustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

11. Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem.

12.

a) Viden' quomodo Apostolus exterioribus officiis pietatis, non solum orationi, sed etiam eleemosynis effectum hunc tribuat, ut DEUS horum gratia nos donis suis beet, nec auxiliis gratiæ deserat: quasi dicat: quandoquidem recepistis Evangelii verbum, & exercetis iustitiæ opera, non vos DEUS gratiæ muneribus destituet, ut spe cadatis: qui non deserit, nisi deseratur.

12. Ne remittatis in hoc ſpei, & operum curſu, atque ſegnes efficiamini, ſed imitemini eos, qui conſtanti, & firma fide, ac patientia nullis adverſis, nullaque exſpectationis mora fracti ad hæreditatem, poſſeſſionemque promiſſionum divinarum pergunt.

12. Ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones.

13. Imprimis autem patrem veſtrum ABRAHAM reſpicite, cui cum DEUS promiſſiones feciſſet, atque eas etiam firmaſſet iureiurando, iurans ei per ſemetipſum, cum non haberet maius aliquod nomen, in quo iuraret,

13. ABRAHÆ namque promittens DEUS quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iuravit per ſemetipſum,

14. *Per memetipſum*, inquit, *iuravi, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.*

14. Dicens: niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

15. Sicut ergo ABRAHAM patienter, & longanimiter exſpectans conſecutus eſt repromiſſionem, ita & vos imitati ſpem, & patientiam ABRAHÆ promiſſiones præſtolemini.

15. Et ſic longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem.

16. Ho-

16.

16. Homines quidem ſolent maioris fidei cauſa per maiorem ſe iurare, & ita iurisiurandi religione interpoſita ortas inter ſe cauſas, controverſiasque ſiſtunt, earundemque compoſitionem natam reddunt, ac firmant;

16. Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum.

17. DEUS vero nulla alia ratione firmitatem promiſſæ hæreditatis regni cœleſtis abundantius oſtendere, ac teſtari potuit, quam interpoſito iuramento per ſemetipſum. a)

17. In quo abundantius volens DEUS oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusiurandum.

18. Ut nimirum per duas res immobiles, nec ulli mutabilitati obnoxias, ſcilicet per religionem iurisiurandi promiſſioni additi, & per DEUM, qui promiſit, quem impoſſibile eſt fallere nos, ac imponere nobis, fortiſſimum ſolatium, & indubitatam ſpem teneamus, qui ſuſcepta Evangelii fide, ac promiſſione æternæ gloriæ cur-

18. Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri DEUM, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.

19.

a) Oſtendit S. PAULUS, quam certo fidere divinis promiſſionibus debeamus, atque hinc cum firma fiducia neceſſaria divinæ gratiæ ſubſidia exſpectare, & petere, ut poſſimus ad promiſſam felicitatem pertingere; cum iureiurando interpoſito DEUS, qui fallere nequit, ſtabilierit promiſſiones.

currimus ad propositam metam obtinendam.

19. Hæc autem spes instar firmæ, ac tutæ anchoræ est animæ nostræ, qua ab omnibus periculis quieta inter procellas huius vitæ degit, atque nos introducit in ipsa sancta sanctorum in cœlis, ubi ipsum DEUM facie ad faciem videre liceat per interiora velaminis penetrando.

19. Quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis:

20. Ad quæ sancta sanctorum iam præcursor pro nobis, viam complanando, & ius redimendo, introivit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

20. Ubi præcursor pro nobis introivit Iesus secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus in æternum.

## CAPUT VII.

*Explicat Apostolus sacerdotium Christi secundum ordinem* Melchisedech, *quod multo præstet, ac perfectius sit, quam Aaronicum,* Abrahamo *patre Leviticorum Sacerdotum decimas* Melchisedech *pendente, & benedictionem accipiente ab eo. Cum præterea Aaronicum temporaneum tantum fuerit, hoc vero æternum immutabili*

*bili iuramenti vi ab ipso DEO roboratum, Christo semper vivente, postquam unico sacrificio omnia expiavit peccata, & nos perfecte sanctificavit; cum Aaronicum multis sacrificiis ne unum delictum expiarit: hinc abrogatum, & novum institutum, a quo omnia sperare licet accedentibus ad DEUM per Christum Sacerdotem, seipsum offerentem immaculatam hostiam.*

1. Sed ut melius constet, quantam nos fiduciam in Christo collocare possimus ob hoc eius sacerdotium secundum ordinem MELCHISEDECH, quantumve inde plus incomparabiliter, quam ex Aaronico sacerdotio emolumenti sperare liceat: ab ovo est repetenda historia MELCHISEDECH: qui fuit Rex Salem Sacerdos DEI summi, tantæ præstantiæ, & auctoritatis, ut etiam ABRAHÆ maximo Patriarchæ vestro regresso a cæde regum obvians, benedictionem elargiretur.

℣. 1. Hic enim MELCHISEDECH Rex Salem Sacerdos DEI summi, qui obviavit ABRAHÆ regresso a cæde quinque Regum, & benedixit ei.

2. Ei vero ABRAHAM ipse decimas obtulit omnis prædæ, ac spoliorum grato in DEUM

2. Cui & decimas omnium divisit ABRAHAM:

DEUM animo, cuius ministerio, & sacerdotio fungebatur MELCHISEDECH tam præstanter, ut nec nomen, nec regni sedes careat mysterio, cum ob nominis vim Rex iustitiæ, ob regiam vero suam Salem Rex pacis sit, ac dicatur.

HAM: primum quidem, qui interpretatur Rex iustitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis.

3. De quo etiam idcirco in scripturis Spiritus S. nomen patris, matris, ac omnem prorsus genealogiam, ipsum denique initium dierum, tempusque nativitatis, ac finem reticuit, ut in eo resplendeat similitudo Filii DEI, qui secundum humanam naturam sine patre, secundum divinam expers matris, ac omnis prorsus genealogiæ, ab æterno, & in sempiternum, sine initio dierum, & fine vitæ DEUS, & Sacerdos in perpetuum sicut MELCHISEDECH.

3. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio DEI, manet Sacerdos in perpetuum.

4. Potestis autem inde conspicere quantus sit MELCHISEDECH, cui nec ipse ABRAHAM decimam partem de præcipuis rebus, ac de manubiis, quas tum temporis DEO offerre consuetudo erat, dedit, & hoc pacto in eo divinum Numen venera-

4. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis ABRAHAM Patriarcha.

nera- 5.

neratus, seque eo inferiorem professus est.

5. Verum est quidem, quod, qui ex tribu Levi ad sacerdotium sunt assumti, filii nimirum, & posteritas Aaron decimas recipere iubeantur a fratribus suis, & populo, iuxta præscriptum legis; ut hinc familia Aaron pro fratribus etiam aliquid dignitatis obtineat:

5. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est a fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

6. At Melchisedech, qui genere, & nativitate ad nullam tribuum hebraicarum pertinuit, non tantum ex Hebræis, sed a primo, ac præcipuo Patriarcha, stirpe ac patre ipsorum sacerdotum, cui DEUS omnes pro gente hebraica promissiones dederat, decimas accepit, eique benedictionem impertiit, ac DEI loco bene precatus est.

6. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

7. Atqui vero extra omnem controversiam positum est, minus, & inferius a præstantiore, ac superiore benedici.

7. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur.

8. Et in lege quidem Mosaica seu familia Aaronis,

8. Et hic quidem, deci-

NIS, qui decimas accipiunt Sacerdotes, omnes homines morti obnoxii ſunt: ubi autem de Sacerdote MELCHISEDECH, decimas percipiente, ſermo eſt, ſcriptura nihil de morte illius commemorans, conteſtatur, quod vivat, eumque celebrat veluti Sacerdotem æternum, ac immortalem.

decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit.

9. Atque, ut ita dicam, & quod res eſt, fatear, per ABRAHAMUM, MELCHISEDECHO decimas pendentem, etiam ipſe LEVI cum tota Sacerdotum ſucceſſione, quibus alias decimæ fuerant perſolvendæ, decimatus eſt.

9. Et (ut ita dictum ſit) per ABRAHAM & LEVI, qui decimas accepit, decimatus eſt:

10. Quo enim tempore reduci ex prælio ABRAHAMO MELCHISEDECH obviam eſt factus, eique benedixit, & ab ABRAHAM decimas accepit, LEVI necdum quidem natus erat, attamen in lumbis ABRAHÆ erat, in eadem cum patre ſorte.

10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei MELCHISEDECH.

11. Quod ſi Leviticum ſacerdotium cum lege antiqua, ac veteri Teſtamento, ad quod ſacerdotium hoc ſpectabat, perfectos homines reddere potuiſſet, quoad nos reſti-

11. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo legem acce-

restituendos statui primævo, animæ sordes detergendas, DEO reconciliandos, & cœlestium donorum, ac gratiarum munera obtinenda, conferendaque : minime opus fuisset alio sacerdotio, quod, abrogato illo Aaronico, secundum ordinem MELCHISEDECH diceretur, ante ABRAHAM, & legem existens, ac æternum duraturum. a)

12. Non ergo miremini, aut indignemini vestram etiam legem antiquari : cum enim legis constitutio cum sacerdotio intime sit coniuncta, & maior pars legis occupetur in functionibus sacerdotalibus ; quando aliud sacerdotium constitutum est, aliam legem institui oportuit.

13. Trans-

accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem MELCHISEDECH alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem AARON dici?

12. Translato enim sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat.

13.

a) Incipit Apostolus causas institutæ comparationis inter sacerdotium Leviticum, & Christi secundum ordinem MELCHISEDECH declarare, ut ostendat recte abrogatum prius, & subrogatum alterum, quod sufficeret ad nos in perfectione consummandos: cum prius nullum aptum remedium sanandæ sauciatæ naturæ per peccatum offerret, nec opportuna subsidia, & auxilia ministraret, ut ad æternitatem felicem pertingeremus, & animas nostras salvaremus a miseria: ut hinc opus fuerit novo sacerdotio, per quod & DEO reconciliari, & per gratiæ adminicula ad cœlestem patriam aspirare, & pervenire possemus.

13. Translatum autem esse, ac immutatum sacerdotium, inde apertissime constat, quod Christus, de cuius sacerdotio loquimur, non ex tribu Levi, sed ex alia prorsus ortum, ac progeniem duxit, de qua tribu nullus unquam altari præsto fuit, ut sacerdotalia obiret munia.

13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit.

14. Id enim apud omnes manifestum est, Christum Dominum ortum traxisse ex tribu Iuda: porro de Sacerdotibus ex illa tribu oriundis, designandis, desumendisque nihil unquam per Moysen in lege decretum est.

14. Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.

15. Accedit adhuc manifestius argumentum, quod Sacerdos, de quo est sermo, secundum ordinem, & similitudinem Melchisedech exurgat aliter prorsus, quam Aaronici sacerdotii constitutio sit:

15. Et amplius adhuc manifestum est; si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos,

16. Non enim sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, per successionem naturalem, ac generationem carnalem, quomodo in lege veteri sacerdotium a Moyse institutum, ut dignitas sacerdotalis ad hæ-

redes

16. Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.

17.

redes propagaretur, sed secundum virtutem vitæ insolubilis Christus Iesus, utpote immortalis nulla succedentium serie ipse unicus manet Sacerdos in æternum.

17. Quemadmodum de eo Spiritus S. per os Psaltis contestatur, sic eum alloquens: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

18. Præcedentis autem Testamenti, legis, ac sacerdotii, ad certum solum tempus constituti reprobatio, & abolitio non frustra, aut sine necessaria causa facta est, sed quoniam non satis roboris habebat, nec utilitatem præstabat, & virtutem optatam ad nos iustos, ac perfectos reddendos, salvandosque. a)

19. Neque enim lex vetus eam habuit vim, ut nos perficere potuerit, ac consummare ad veræ sanctitatis, & gloriæ perfectionem: sed fuit

17. Contestatur enim: quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem MELCHISEDECH.

18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.

19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris

a) Non solum ostendit S. PAULUS præstantius esse novum Testamentum, sed etiam unice salutare, quod meliorem hinc in nobis gignit spem de gratia DEI, & salute nostra.

fuit quaſi pædagogia ad ſpem, ac promiſſionem bonorum longe præſtantiorum in Chriſto, Evangelioque ab eo nobis nunciato, æterna nimirum præmia, fruitionemque ipſius divini Numinis proponendo, gratiam, ac internam iuſtitiam conferendo, atque ad DEUM perducendo.

ris ſpei, per quam proximamus ad DEUM.

20. Ex eo etiam capite magna huius Teſtamenti novi, ac ſacerdotii præſtantia præ veteri eluceſcit, quod a DEO iurisiurandi religione firmatum ſit, ſecus ac illud prius, cuius Sacerdotes ſine iuramento conſtituti ſunt, idcirco etiam inſtabiles, atque amotioni, abolitionique obnoxii.

20. Et quantum eſt, non ſine iureiurando (alii quidem ſine iureiurando Sacerdotes facti ſunt;

21. Chriſti autem ſacerdotium natum, ac firmatum eſt iureiurando per DEUM ipſum immutabilem, qui nunquam pœnitentia ducitur: ut hæc omnia ex pſalmo diſcimus, ubi de illo dicitur: *Iuravit Dominus: & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.*

21. Hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum: iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum.)

22. Hinc etiam quo ſanctiori auctoritati, & maiore

22. In tantum melioris

re religione Christi sacerdotium est stabilitum, eo melioris, potiorisque Testamenti est sponsor. a)

23. Atque Aaronici quidem Sacerdotes plures debuerunt esse numero, quorum unus alteri succederet, eoquod singuli statutis temporibus morerentur:

24. Christus autem, sicuti est immortalis, atque resurgens ex mortuis post oblatum semetipsum in sacrificium iam non moritur, sic etiam sempiternum habet sacerdotium, quod tum in cœlis per seipsum, tum in terris per ministros Sacerdotes sui locum tenentes continuat, & prosequitur,

25. Il-

lioris Testamenti sponsor factus est IESUS.

23. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere:

24. Hic autem, eoquod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.

25.

a) Iterum patet, cur Apostolus tam multa de singularibus novi Testamenti prærogativis disserat, ut nimirum Iudæos ad fiduciam omnem ponendam in gratiæ lege persuadeat, agnita prioris Testamenti inutilitate, & proposita meliori spe, quam si rursus abiiciant, nec tot gratias, & charismata in suum commodum vertant, peccatum in Spiritum S. consumment, impleta mensura reiectarum gratiarum, & cumulo peccatorum propria culpa, eoquod præsenti gratiæ tempore non utantur, nec cum fiducia supplices accedant ad Sacerdotem nostrum IESUM Christum, qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad DEUM.

25. Illis, qui spem suam, ac fiduciam in eo collocatam tenent, eique supplices fiunt, promtissimum, & potentissimum ad salvandum præbens auxilium, ipsamque salutem præstans: semper nimirum vivens, & causam nostram apud Patrem suum cœlestem agens, nobisque propitium, & clementem deprecans.

25. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad DEUM: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

26. Talis enim nobis erat necessarius Pontifex, qui sanctitate, & innocentia præditus, nulla labe, etiam originali infectus, a peccatorum consortio, vita, & moribus penitus semotus, & in cœlis primum ad dexteram Patris locum tenens.

26. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus:

27. Qui non habet necessitatem quotidie, sicuti Sacerdotes Aaronici veteris Testamenti primum pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: pro se enim, utpote totus sanctus innocens, & impollutus nulla omnino indiget victima, pro populo autem satis ei fuit pro sempiterno suo sacerdotio semel, & quidem semetipsum in cruce obtulisse hostiam.

27. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel semetipsum offerendo.

28. Lex

28.

28. Lex enim vetus non potuit alios Sacerdotes constituere, quam qui essent homines infirmitatem, & peccati noxam secum ferentes: Is autem, qui per iusiurandum Sacerdos est post abrogatam legem constitutus, est Filius DEI, ipseque DEUS infinito perfectionum cumulo ornatus, nec quidquam labis, aut infirmitatis in se habens.

28. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

## CAPUT VIII.

*Exhibet hic scopum, ac finem, cur agendum sibi sumserit de differentia veteris, ac novi sacerdotii, huiusque præ illo excellentia, ut nimirum ostensa illius imbecillitate causa patefieret, quare illud abolitum sit, hoc institutum, cuius umbra solum prius fuerat, terrenis mere constans promissionibus, nec hominem perfectum reddens: hinc opus fuisse novo Testamento, priore abolito, & irrito facto: hoc autem longe præstantioribus promissionibus instructum, & magna vi, & virtute non in tabulis lapideis, sed in cordibus hominum inscripta lege tam efficaciter, ut faciat implere*

*conditiones fœderis, quod non præstitit prius, Iudæis pactum non servantibus, propterea a DEO neglectis, fœdere rupto.*

1. Ceterum quæcunque a nobis dicuntur, huc unice collimant, estque hæc summa, & caput sermonis nostri, ut vobis commonstrem amplitudinem, & præstantiam Pontificis, nunc primum in novo Testamento nobis dati, atque modo considentis in dextera throni divinæ Majestatis in cœlis. a)

2. Est autem Pontifex eiusmodi, ut veram sanctitatem conferat, & ministret in tabernaculo, & sanctuario veri nominis, non umbratili, quod ab ipso DEO est fixum, neutiquam ab homine, veluti prius a Moyse factum.

3. Quo-

℣. 1. Capitulum autem super ea, quæ dicuntur: talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis,

2. Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

3.

a) Totus itaque Apostoli scopus, ac finis est, ut Iudæos, ostensis evangelicæ legis prærogativis, quibus per merita, & sacrificium summi Pontificis, & Sacerdotis est instructa, ad ei adhærendum, illiusque gratiam quærendam, & promissiones sectandas, exstimulet, cum prius Testamentum eis nihil profuerit, nec in eo steterint: cuius rei gratia DEUS eis novum offert, quod si etiam negligant, nec præsenti gratia utantur, cum inutili sua lege intereant, non iam legali solum crimine se contaminantes, sed in Spiritum S. eius neglectis donis, peccantes.

3. Quoniam vero, quicunque Pontifex dici, ac esse debet, ad hoc constituitur, ut offerat DEO munera, & hostias pro populo; necesse fuit, & huic Pontifici nostro Christo aliquam suppetere hostiam, quam DEO in sacrificium offerat: corpus nimirum & sanguinem suum, quem pro nobis effudit, nunc autem gloriosum secum perduxit in cœlum.

3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necessum est, & hunc habere aliquid, quod offerat.

4. Si enim corpus reliquisset in terra, non posset in hac corruptione sacerdotio in æternum perfungi, cum terrestre tabernaculum habeat suos Sacerdotes, qui secundum legem Moysis oblationes, & sacrificia faciunt: debuit igitur cœleste ingredi tabernaculum, ubi novi, & æterni sacerdotii munia prosequeretur.

4. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent, qui offerrent secundum legem munera,

5. Huius cœlestis tabernaculi, nec non & oblationis, ac sacrificii, quod Christus obtulit, solum similitudinem quandam habuerunt sacrificia, tabernaculum, ac templum hebraicum, atque ad hoc deservierunt, ut tanquam umbræ, ac typus cœlestium essent. Ad horum ex-

5. Qui exemplari, & umbræ deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: vide, inquit, omnia facito



se-

exemplar omnibus effictis, ficut Moysi oftenfum eft, & præceptum, cum perficeret, & confummaret tabernaculum: *Infpice*, inquit, *& fac fecundum exemplar, quod tibi in monte monftratum eft.* Exod. XXV. 40.

fecundum exemplar, quod tibi oftenfum eft in monte:

6. Nunc autem Chriftus tanto melius fortitus facerdotale minifterium, quanto præftantioris Teftamenti eft mediator, cum prius Teftamentum tam excellentes promiffiones non habuerit, quam novum, terrenam folum habitationem promittens, & temporaneam; novum, cœleftem, & æternam, ad quam confequendam, atque promiffiones adipifcendas, virtutem, & efficaciam Spiritus S. tribuit, facitque, ut revera participes fiamus bonorum promifforum.

6. Nunc autem melius fortitus eft minifterium, quanto & melioris Teftamenti mediator eft, quod in melioribus repromiffionibus fancitum eft.

6. Si enim prius Teftamentum in omnibus effectum fuum confecutum fuiffet, atque homines ad eam fanctitatem, & perfectionem perduxiffet, ut pro hominis ftatu etiam immortali, & æterno nihil ultra requireretur, fruftra fecundo locus quæreretur.

7. Nam fi illud prius culpa vacaffet: non utique fecundi locus inquireretur.

8. Quia

8.

8. Quia etiam culpa eorum, ad quos Teſtamenti illius promiſſio, ac pactio facta eſt, non fuit irreprehenſibile, hinc DEUS veluti arguens, & vituperans eos, quod in pacto ſuo non ſteterint, cum Teſtamento ſuo reiiciendos iam olim per Prophetas prænunciavit: Ecce dies venient: dicit Dominus: & conſummabo, atque ad finem perducam vetus Teſtamentum, quod cum domo ISRAEL, & IUDA pepigi, novumque inſtituam.

8. Vituperans enim eos dicit: ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum ISRAEL, & ſuper Domum IUDA Teſtamentum novum,

9. Non amplius tale Teſtamentum, quale in deſerto cum Patribus percuſſi eo tempore, quo in brachio virtutis meæ eos veluti apprehenſos eduxi de terra Ægypti: quoniam enim ipſi infideles fuerunt in iis rebus, quibus ſe obſtrinxerunt, nec ſervaverunt pactum meum: idcirco diſſipavi, & abrogavi fœdus illud, eosque propter infidelitatem abieci, neglexi, dereliqui. a)

9. Non ſecundum Teſtamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo, & ego neglexi eos.

10. Cum

10.

a) S. PAULUS hoc & ſuperiore verſu totum DEI conſilium, & decretum circa Iudaicum populum explicat. Cum enim eos primo in populum ſibi peculiarem conſtituiſſet, & fœdus cum eis iniiſſet, ipſi vero pacto, & promiſſis non ſtarent, nec quidquam monitis, & hortationibus miſſorum ad ipſos nunciorum

10. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui ISRAEL post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in DEUM, & ipsi erunt mihi in populum:

10. Cum ergo illi sua culpa, & contumacia irritum fecerint fœdus: aliud fœdus in domo ISRAEL instituere incipiam, ipsis vero contemnentibus ad gentes disponam, quod eiusmodi futurum erit, tantæque virtutis, & efficaciæ, ut humanos omnes defectus, & contumaciam sit superatura; non enim tabulis lapideis leges, & mandata inscribam, sed menti eorum, ac cordi illustrando intellectum, & voluntatis affectum inflammando interiori gratiæ vi, ut ea velint, & faciant prono, ac lubenti animo: sicque ero eis in DEUM non solum per potentiam, qua eos voluntati meæ obsequentes reddam, verum etiam benevolentia, erga illos me beneficentissimum commonstrans, atque donis, & beneficiis accumulans: illi etiam erunt

mihi

11.

Prophetarum cederent: tandem DEUS Filium misit ad novum sanciendum pactum, ac fœdus gratiæ, quod quia Iudæi non susceperunt, DEUS eos deseruit, & ad gentiles Evangelium convertit: quæ res in parabola de vinea, & alibi in Evangelio, est apertissime declarata: sistit autem in hac obstinatione, agnitæ veritatis abiectione, impœnitentia &c. peccatum eorum in Spiritum S., DEO eos deserente, hicque excisione, illic æterna damnatione peccatum puniente.

mihi in populum gratum, obſequentemque. a)

11. Sic autem hæc omnia diſponam, ut non in uno aliquo terræ angulo hæc lex doctrinæ, ac pacti cœleſtis appareat, & cognoſcatur: ſed ut omnes ſciant me Dominum & Patrem ſuum non ſolum doctrina exterius per fidei præcones adveniente, verum etiam Spiritu S. lumen affundente, & unctione cœleſti intus docente, cuius maior ſit vis, quam ut ab homine ſuppeditari queat: qua luce maxime in æterna patria fruentur, ubi opus non erit mei notitiam aliunde quam a me haurire.

11. Et non docebit unusquisque proximum ſuum, & unusquisque fratrem ſuum dicens: cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me a minore ad maiorem eorum:

12. Quia propitius redditus eorum iniquitatibus, & peccatorum eorum nunquam amplius rememorans, eos gratia, & gloria dignabor, in quo novi fœderis eſt conſtituta ratio.

13. Quod

12. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor.

13.

a) In hoc ergo novæ legis excellentia ſita eſt, quod contineat promiſſionem gratiæ internæ, benedictionum ſpiritualium remiſſionis peccatorum, Spiritus S. & vitæ æternæ: cum conditione fidei, & obedientiæ, præſertim autem dilectionis: quæ omnia ipſa lex interiore gratiæ virtute præſtat, efficitque iuſtos homines, & DEO acceptos.

13. Quod pactum novum & Teſtamentum dum conſtituitur, ſequitur, antiquari, & aboleri prius, ac vetus, quod dum fit, patet non longe abeſſe illius interitum, cum iam ſit antiquatum, & ſenuerit. a)

13. Dicendo autem novum, veteravit prius; quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.

---

# CAPUT IX.

*Facta recenſione rerum ad ſacra veteris Teſtamenti pertinentium, functionumque ſacerdotalium ad emundationem legalem, eoquod omnia*

a) Hic interitum omnem ſynagogæ, & veteris Teſtamenti, ac reiectionem Iudæorum, exciſionemque, quæ non longo poſt tempore accidit, haud obſcure Apoſtolus prædicit, ut Iudæos Chriſtianos deterreat, ne iterum a fide deficiant, & ad ſynagogam revertantur: quo facto ſe illi pœnæ ſubiicerent, quam gens Iudaica tam in hoc, quam altero ſeculo erat expertura, in iuſtam peccati ſui in Spiritum S. vindictam, quæ hic non ſolum abolitionem veteris pacti, verum etiam reiectionem a novo fœdere, eiusque ad gentes translationem operabatur. Non quod oblata non fuerit, ſed quod recipere detrectarit Iudaica gens novi fœderis huius gratiam, ſicuti conſtat ex Evangelii hiſtoria. Itaque patet, hoc fine ac ſcopo Apoſtolum tam copioſe de abolitione veteris Teſtamenti, & ſacerdotii, ac conſtitutione novi hic tractare, ut Iudæos ſtatus ſui, peccati, & decreti divini commoneat, ſi gratiæ tempus præterlabi ſinant: ſicuti poſtea experta eſt tota gens, aliis obſtinate in errore perſeverantibus, aliis poſt agnitam veritatem iterum ad errorem revertentibus.

*mnia ibi terrena, & caduca essent, quae nihil ad veram sanctificationem conferre possent, deducit necessitatem melioris Testamenti, Christi sanguine firmati, cuius solum umbram vetus habuerit, per sanguinem quidem, sicuti ad veram Testamenti rationem requiritur, dedicatum, sed tantum animalium; cum Christus per proprium sanguinem semel in Sancta sanctorum introierit, nobis etiam facultate introeundi facta.*

1. Minime autem prius Testamentum omni prærogativa, & religioso usu, ac ornatu spoliatum volo, habuit etiam illud suos ritus, & ceremonias ad cultum divinum hominisque quandam iustificationem, locum quoque ad hoc sanctificatum, quem homines religionis causa adirent, sed mundanis, corporalibus, & temporaneis tantum rebus instructum.

℣. 1. Habuit quidem & prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare,

2. Ac primo quidem constructum est tabernaculum, in quo religiose servabantur candelabra, mensa, & septem illi panes in mensa expositi, *propositionis* dicti.

2. Tabernaculum enimfactum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta.

3. Tum

3.

3. Tum erat altera tatabernaculi sacratior pars, velo iterum a priore distincta: hæc vocabatur Sancta sanctorum, ob maiorem religionem, atque sanctiores res, quæ hic continebantur.

4. Thuribulum scilicet aureum ad suffitum semel quotannis ab ingrediente Pontifice adolendum; arca quoqueTestamenti laminis aureis undique circumtecta; ubi etiam urna aurea erat, manna olim e cœlo Israelitis in cibum datum,& virgaAARON, quæ licet a stirpe resecta esset, tamen fronduerat: inerant etiam tabulæ Testamenti, in quibus decalogus manu DEI descriptus.

5. Supra arcam spectabantur imagines Cherubim testes præsentiæ DEI, ubi scilicet in nube gloria Domini appareret, alis autem suis obumbrabant propitiatorium, de quibus omnibus, ut singulatim plura dicamus, nihil ad præsens institutum est opus, cum potius de Sacerdotibus sit agendum comparatione facta eorum, qui in priore hoc fœdere fuerunt, qui vero in fœdere Christi, novi

3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum:

4. Aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti circumtectam omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga AARON, quæ frondue-rat, & tabulæ Testamenti,

5. Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula.

6.

novi Teſtamenti Sacerdotis.

6. Itaque in hunc modum partibus tabernaculi diſtributis, ſacraque ſuppellectili compoſita: in anteriorem tabernaculi partem Sacerdotibus nullo non tempore acceſſus patebat; ingrediebantur, quoties ſacris opera danda, ac ſacrificiorum officia conſummanda,

7. In alteram vero ſecretiorem tabernaculi partem ſolus Pontifex, & id quidem una tantum anni die, nec ſine profuſo ſanguine vituli pro ſuis, & hirci pro populi peccatis in feſto expiationis.

8. Quod autem ſoli Pontifici intra interius hoc velum in Sancta ſanctorum penetrare licebat, ſignificare voluit Spiritus S., quo auctore Moyses hos ritus conſtituerat, necdum hominibus eſſe patefactum aditum ad vera Sancta ſanctorum cœleſtia, quia nondum veram ſanctitatem conſecuti erant per ſacrificium, & expiationem Chriſti.

9. At-

6. His vero ita compoſitis: in priori quidem tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes;

7. In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia,

8. Hoc ſignificante SpirituS., nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.

Q 9.

9. Atqui hi ritus, & tabernaculi diſpoſitio eſt typus, ac repræſentatio eorum etiam quæ nunc adhuc apud vos fieri cernimus: cum enim munera, & hoſtiæ, quas Sacerdotes veſtri offerunt, deprehenſæ ſint, non poſſe ſecundum interiorem hominem, & animam veram, & perfectam ſanctitatem conferre, opus fuit novam religionis formam inſtituere, abolitis his ritibus infructuoſis, ut qui in ſolo ciborum, & potus delectu,

9. Quæ parabola eſt, temporis inſtantis, iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur; quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & in potibus,

10. Variis ablutionibus, & purgationibus carnis, quæ virtute non pollebant interiorem animam, ſed ſolum exterius corpus emundandi, & quandam legalem conferendi puritatem: quæ ceremoniæ eouſque perdurare debebant, donec per Chriſtum corrigerentur, cultusque DEI internus, & ſpiritualis ad veram interiorem emundationem inſtitueretur. a)

10. Et variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis;

11. Ita-

11.

a) Prodit iam iterum ſe aperte finis, ac ſcopus Apoſtoli, ut Iudæos oſtenſa inutilitate veterum rituum ad firmiter adhærendum legi gratiæ adduceret, a qua exſpectarent confidenter veram emundationem, per quam idonei redderentur ad Sancta illa Sanctorum cœleſtia introire, & promiſſionibus non tem-

11. Itaque Christus advenit in hunc mundum, ut Pontificis munus nostri causa obiens compararet thesauros, quibus futuræ, & æternæ vitæ participes esse possemus, vera nos iustificatione, & sanctitate beans, ac gratiæ viribus instruens: introivit vero per tabernaculum assumtæ suæ humanæ naturæ mirabili opere ipsius Spiritus S. in utero Virginis efabricato, sicque consors, & congener noster nos etiam in structuram eiusdem assumsit ex omni terra Ecclesiam in corporis, ac Spiritus unitatem coadunans.

11. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis,

12. Cum vero veteres Sacerdotes sanguinem solum hircorum, & vitulorum in sanctuarium inferrent semel quotannis, Christus ipse victima pro expiatione effectus per proprium sanguinem effusum semel in ara crucis introivit in Sancta cœlestia & æterna, adeptus ius, & potestatem conferendæ redemtionis

12. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem semel in Sancta æterna redemtione inventa.

nis 13.

poraneis, sed æternæ vitæ gaudere, quodsi negligant, tempus esse, ut ipsi cum sua lege, & ceremoniis pereant, quod fatum iam templo & genti incumberet, abolito veteri suo fœdere, & novo instituto.

nis iis omnibus, qui eodem cum eo ſunt adunati corpore, & viva, ſanctaque membra Eccleſiæ manent.

13. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, cum in ſacrificium offerretur, & aſperſio aquæ, cui immixtus fuerat cinis, rufæ vitulæ immolatæ, & crematæ aliquid facere voluerit ad ſordes, inquinationesque legales abſtergendas, eosque, qui exteriorem aliquam, ac carnalem immunditiam contraxerant, expiandos:

13. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis,

14. Quanto magis ſanguis Chriſti, æterni Patris Filii, qui ſeipſum DEO Patri obtulit victimam immaculatam, opere Spiritus S., ad hoc beneficium bonitatis divinæ in nos conferendum, moventis, maximo, quo emundetur conſcientia noſtra a ſordibus, & lepra ſpirituali, atque a reatu, & ſervitute peccati ſoluti, poſſimus digne DEO viventi ſervire, ac ipſius cultui vacare.

14. Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum DEO viventi?

15. Hæc cauſa fuit, quare Chriſtus mediator Teſtamentum novum inſtitueret bona nobis ſpiritualia, ac cœleſtia con-

15. Et ideo novi Teſtamenti mediator eſt: ut

consignans, delensque vetus chirographum peccati : ut autem vera Testamento ratio constaret, quo ceu hæredes horum omnium bonorum scriberemur, & redimeremur a debito earum prævaricationum, quæ sub priori Testamento aut manserant, aut etiam noviter accesserant, debuit mors Christi intercedere.

ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

16. Ubi enim Testamento hæreditas legari debet, necesse est prius mortem oppetere testatorem, quam adiri hæreditas queat.

16. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est, intercedat testatoris,

17. Testamentum enim robur, ac vigorem per obitum testatoris accipit, & quamdiu is in vivis degit, omni vi, ac auctoritate destituitur : sic ergo mors Christi præcedere debuit, antequam nos hæreditati cœlesti capiendæ apti essemus.

17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.

18. Id vel inde constare potest, quod nec prius Testamentum per Moysen cum populo Israelitico ad capessendam hæreditatem terræ Canaan solemniter dedicatum, & confectum sit sine sanguine, non ipsius quidem testa-

18. Unde nec primum Testamentum sine sanguine dedicatum est.

testatoris, sed animalium eo iubente neci datorum.

19. Sic enim sacræ litteræ historiam huius confecti Testamenti referunt: Moysen perlecta omni lege coram universo populo, ceu tabulis Testamenti propositis accepisse sanguinem vitulorum, & hircorum unacum aqua, lana coccinea, & hysopo, hisque librum ipsum, & totum populum in testimonium facti Testamenti respersisse, eiusmodi verba pronuncians:

19. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hysopo: ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens:

20. Hic est sanguis effusus, ut esset in confirmationem, & ratihabitionem Testamenti, quod per meum ministerium in gratiam vestri facit DEUS, ad consignandam vobis hæreditatem terræ Canaan.

20. Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos DEUS.

21. Et non ita multo post, cum esset confectum tabernaculum, etiam illud, nec non omnia vasa, quæ in ministerium sacrum erant destinata, similiter sanguine conspersa initiavit.

21. Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter conspersit.

22. Denique secundum legis præscriptum omnia pene, quæ

22. Et omnia pene in sanguine secundum le-

quæ ſaltem maioris momenti ſunt, emundationes, & purificationes legales, per ſanguinem fiebant: neque noxæ, aut culpæ alicuius legalis remiſſio fiebat ſine ſanguinis effuſione, quamvis alia immunditiarum genera, aliter nonnunquam purgarentur.

legem emundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

23. Atque vetus tabernaculum, & Teſtamentum, quæque eo pertinebant, ſatis fuit eiusmodi terrenis, & exigui pretii rebus, a brutis animalibus ſumto ſanguine, purificari, quia tantum ſunt typus, ac figura cœleſtium: ipſa autem cœleſtia novi Teſtamenti pacta, & ſacra, quæ habent æternæ hæreditatis ſtipulationem, firmanda, & ſacranda ſunt aliis longe hoſtiis, quam ſint iſtæ, ipſo nimirum ſanguine Iesu Chriſti.

23. Neceſſe ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis, quam iſtis,

24. In quæ enim Sancta ſanctorum Iesus per proprium ſanguinem introivit, ea non ſunt opera humana, ſicut tabernaculum Moysis, facta; nec ſunt ſolummodo in typum, & figuram veri ſanctuarii conſtituta: ſed hæc Sancta ſunt ipſum cœ-

24. Non enim in manufacta Sancta IESUS introivit, exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

cœlum, quo Christus intravit, ut Pontifex, & mediator pro nobis appareat vultui DEI, & causam nostram agat, introitum ad hæc Sancta nobis etiam faciendo.

25. Non autem necesse habet sæpius sese cruentam hostiam DEO offerre, & sic introire in sancta: quemadmodum veteris Testamenti Pontifex singulis annis, alieno sanguine animalium sumto secum, introire debuit.

25. Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno:

26. Nam si sæpius foret repetenda expiatio Christi, sæpius inde a mundi origine, cum primum peccato infici homines cœperunt, pati eum necesse fuisset: nunc autem postremo hoc tempore seipsum semel hostiam ad destruendum peccati regnum, & nos DEO teconciliandos, dignosque cœlesti hæreditate reddendos, obtulit.

26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.

27. Et quemadmodum, ut homines propter peccatum primi parentis semel tantum mortem sufferant, statutum est, & post hanc mortem statim divino iudicio sistuntur, ut semel tantum sententia prolata in omnem æternita-

27. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium,

28.

nitatem quorumcunque constituatur sors:

28. Ita Christus semel tantum oblatus est plusquam sufficiens pretium ad delenda, & exhaurienda peccata, cuius etiam fructum multi percipient. Altera quidem adhuc vice apparebit, non autem amplius pro nobis victima peccati factus, sed tanquam iudex, illis, qui in ipsum crediderint, fiduciamque collocarint, exspectantes beatam spem, & iudicium futuræ felicitatis, salutem æternam collaturus.

28. Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit exspectantibns se, in salutem.

## CAPUT X.

*Demonstrata ergo inutilitate sacrificiorum veterum, quæ nec placere DEO, nec placare eum potuerunt, commendat Filii DEI benignitatem, qua corpus humanum assumens hostia DEO grata, nos vere sanctificans, & aptos regno DEI reddens, fieri voluit. In hoc ergo sacrificio Christi plene nos confidere vult, nec aliunde quidquam subsidii ad nos salvandos sperare. Redit deinde ad pœnam, & vindictam, quam illi*

 ex-

*experturi sint, qui gratiam oblatam neglexerint, eo modo, quo iam capite sexto de hac re disseruerat: confirmans in spe, sed præsumtionem damnans, si nimirum Spiritui gratiæ contumeliam fecerint, hortatur ad patientiam ad tempus.*

1. Lex enim vetus umbram, ac rudem delineationem complectebatur eorum bonorum, quæ aut deinceps in Ecclesia futura erant, uti expiatio, sanctificatio, & sacrificium vere propitiatorium; aut etiam aliquando in cœlis possidenda sunt, quorum veram imaginem Ecclesia ostentat, & prægustum quendam cœlestium promissionum exhibet, quas etiam certa nobis conciliandi auxilia præbet, nosque debita ad ea adipiscenda perfectione instruit: cum antiquæ hostiæ eædem plane per singulos annos, licet indesinenter offerrentur, nunquam potuerint perfectos reddere accedentes, ac offerentes.

2. Alias, si hæc sacrificia perfecte expiassent peccata, deinceps offerri cessassent: ut-

℣. 1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere:

2. Adeoque cessassent offerri: ideo quod nul-

utpote quod, conſcientia peccati, & reatu homines amplius non ſtringente, poſt præſcriptas victimas immolatas, non iterum opus foret aliis deinceps;

nullam haberent ultra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati;

3. Cum tamen conſtet eorundem peccatorum expiandorum comemorationem per ſingulos annos fieri,

3. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit,

4. Non alia certe de cauſa, quam quod fieri non poſſit, ut in ſanguine taurorum, & hircorum virtus reſideat delendi, & auferendi culpam, ac labem peccatorum:

4. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata:

5. Idcirco cum primum Chriſtus aſſumta humana natura mundum eſſet ingreſſus, hoc modo Patrem ſuum cœleſtem eſt affatus: quoniam eiusmodi hoſtiis, quales ante me in lege Moſaica offerebantur, non placaris, nec pro hominibus tibi reconciliandis acceptare vis: & iam corpore me induiſti, ut illud per mortis meæ ſacrificium tibi offerrem, eſſemque tibi placita hoſtia,

5. Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.

6. Eoquod gratum tibi, & acceptum non fuit, ut a me tibi

6. Holocautomata pro

tibi holocautomata, aut quidquam eorum, quæ lex postulat, offeratur.

pro peccato non tibi placuerunt.

7. Tunc dixi: ecce adſum in carne, ſicut in volumine ſacræ ſcripturæ, imo æternæ prædeſtinationis de me ſcriptum eſt, & deſtinatum, ut hanc tuam DEUS, impleam voluntatem, tibique meipſum, factus obediens uſque ad mortem, ſacrificem, ad iuſtam pro peccatis ſatisfactionem.

7. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: ut facerem, DEUS, voluntatem tuam.

8. Cumque prius dixiſſet a Patre ſuo nec hoſtias, nec oblationes, nec holocautomata pro peccatis poſtulari, aut acceptari pro reconciliatione, & ſatisfactione; nec placita ſibi eſſe, quæcunque ſacrificiorum genera ſecundum legem offerenda præſcribuntur.

8. Superius dicens: quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur.

9. Poſtea ſubiungit, ac ſeſe offert paratum ad ſatisfaciendum divinæ voluntati: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam: quo innuit, declaratque, hoſtias antiquas, & ſacrificia in templo offerri ſolita DEUM nolle, atque unum Iesu Chriſti ſacrificium eſſe juxta voluntatis ſuæ beneplacitum, ac decretum.

9. Tunc dixi: ecce venio, ut faciam voluntatem tuam: aufert primum, ut ſequens ſtatuat.

10. Ita-

10.

10. Itaque, quoniam ad hanc DEI voluntatem implendam in terras venit, ac mortale corpus noſtrum aſſumſit Chriſtus Iesus, per huius corporis oblationem ſemel in cruce factam, veram ſumus conſecuti ſanctificationem noſtram.

11. Licet vero quilibet veteris legis Sacerdos ſemper præſto ſit, ad quotidie ſacrum oblationis implendum miniſterium, easdem etiam non ceſſet ſæpius offerre hoſtias, nunquam tamen hæc tantæ virtutis ſunt, ut ad peccata auferenda ſufficiant.

12. Chriſtus Iesus vero, poſtquam ad expianda peccata noſtra ſemel tantum ſeſe victimam obtulit, iam in cœlos, nunquam in terram, ut immoletur reverſurus, abiit, ſedemque ſuam ad æterna tempora in dextera DEI tenet:

13. Id unice adhuc exſpectat ad extremum iudicii diem, ut inimici eius penitus domiti, ſub ſcabellum pedum eius abiiciantur.

14. Uni-

10. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis IESU Chriſti ſemel.

11. Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & easdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata:

12. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera DEI,

13. De cetero exſpectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.

14.

14. Unica autem corporis sui oblatione sic consummavit, atque perfectam reddidit sanctitatem electis suis, ut nunquam amplius resumi necessum sit alteram, pro expiandis mundi peccatis, hostiam.

14. Una enim oblatione consummavit in sempiternum Sanctificatos.

15. Id quod ipse Spiritus S. apertis verbis in sacris scripturis nobis contestatur, & declarat. Postquam enim dixisset, & prænuntiasset

15. Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit:

16. Testamentum, quod testari propositum haberet ad nos post effluxos prioris Testamenti dies, illoque veteri repudiato, id in hunc modum nobis describit: dando leges meas in cordibus eorum per virtutem, & internam gratiæ unctionem, eas ipsorum mentibus inscribam, intimeque infigam:

16. Hoc autem Testamentum, quod testabor ad illos post dies, dicit Dominus: dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas:

17. Sic autem per unicam hostiam huius Testamenti, mortem nimirum Christi omnium peccatorum, & iniquitatum recordationem a conspectu DEI auferam, ut nunquam amplius in ultricem memoriam redeant, ac nova hostia opus sit.

17. Et peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor:

18. Postquam enim plena, & nunquam revocanda remissio peccatorum indulta est, non est amplius opus, ut ad delenda peccata oblatio altera, ac iterata fiat.

18. Ubi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato.

19. Cum igitur fratres per sacrificium sanguinis Christi pro nobis effusi libera facultas, certa spes, & fiducia data sit ingrediendi in sancta æterna, & cœlestia.

19. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi,

20. Viam enim vobis, ac aditum Christus patefecit per velamen carnis suæ, qua Divinitatem texit, & in victimam pro nobis obtulit, primus ipse ingressus nobis etiam cœli portas aperiens: nova utique via, ac viva, & efficaci, quæ semel aperta, deinceps non recluditur.

20. Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est carnem suam:

21. Quoniam Christus semper manet Sacerdos vere magnus, & omnipotens pro nobis, qui sumus domus, & Ecclesia eius, quam acquisivit sanguine suo, eique præfectus est,

21. Et Sacerdotem magnum super domum DEI.

22. Accedamus a) non ficto, & ancipiti corde, sed aper-

22. Accedamus cum vero

a) Postquam Apostolus exposuisset, quid præ veteri ex novo Testamento eiusque sacrificio sperare nobis liceat, ut qui conse-

aperto, & sincero plena, & indubitata imbuti fidei persuasione, & confidentia, postquam a maculis conscientiæ peccatorum per sanguinem Christi mundati fuerimus, per lavacrum baptismi primum sanctificati.

vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.

23. Constantes, ac firmi simus in ea, quam fecimus, professione, ut ne quid spem, ac fiduciam nostram concutiat, cum enim DEI nitatur promissis, qui fidelis, ac verax est, mentiri, & falli nescius, nihil est, quod hæsitemus.

23. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit.)

24. Observemus alii aliorum præclaras virtutes, & dotes, easque æmulari studeamus exstimulantes, atque mutuis studiis acuentes ad charitatem, & opera bona.

25. Non

24. Et consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:

25.

cuti hinc simus remissionem peccatorum, adoptionem, regenerationem, salutem denique, atque ad hæc omnia meritis, gratia, & auxiliis uberrimis instructi, officii commonefacit: ut libertatem consecuti, & spem certam accedamus humili corde, ac supplici prece confidenter, participes effecti gratia Christi, & compotes virtute sacrificii illius per Sacramenta: & sic omni fiducia in Sacerdotem magnum collocata ab illo exspectemus secure, impenseque efflagitemus, quidquid ad hæreditate capiendas divinas promissiones gratiæ, & meritorum Christi est necessarium.

25. Non subtrahatis vos a communione precum publica, congregationibusque fratrum, ac cœtu fidelium, quemadmodum consuetudinis est quibusdam aut metu, aut offensione quadam observationum, ac rituum: sed potius conventus celebrantes solatio invicem sitis, mutuisque vos adhortationibus excitetis, ac roboretis, præsertim cum iam variis indiciis deprehendatis, cernatisque, appropinquare diem vindictæ in gentem vestram, non procul ab excidio distantem. a)

25. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est, quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.

26. Quodsi enim nos, qui iam DEO donante, & Spiritu S. afflante accepimus, & tenemus notitiam, & convictionem veritatis evangelicæ, promissionesque præstolamur, & gratiæ virtutem

26. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinqui-

a) Hortatur hic Apostolus, ut mutua æmulatione pergant in pietatis ac fidei professione, eosque terret proposita exspectatione plenæ reiectionis gentis Iudaicæ, & excisionis ipsius urbis ac templi, abolito prorsus, & rescisso pacto, & Testamento: DEO iustam vindictam sumente, quod nec in veteri Testamento fideles steterint, nec novum suscipere voluerint, quantis etiam signis & virtutibus Spiritus S. ad hoc provocati fuerint. Hinc peccatum, & pœna peccati in Spiritum S.

tem experimur, destinata opera, & voluntate præcipites in peccata ruerimus, præsertim si nos in peccatum infidelitatis rursus proiecerimus, non est quod ullam exspectemus aliam pro peccatorum expiatione hostiam, si ipsam, quæ a Patre nobis data est, sic abiecerimus. a)

quitur pro peccatis hostia.

27. Nihil superest iis, qui tales se adversarios, & iuratos hostes veritatis, ac legis evangelicæ præbent, quam ut sustineant appropinquantem diem terribilis DEI iudicii, ac sententiæ ultricis, vindicisque iustitiæ divinæ, zeli denique, ac furoris Domini, igne devorandos, consum-

27. Terribilis autem quædam exspectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios.

28.

a) Non est hic versiculus a superiore separandus, in quo Apostolus propinquum ruinæ & desertionis Iudæorum diem esse dicit, cum particula causalis utraque hic connectenda innuat commata: vult ergo Apostolus Iudæos ad Christum conversos exemplo Iudæorum perversorum, & in errore suo obstinatorum terrere, ne agnita iam veritate christiana, ab ea deficientes, aut ne virtutem gratiæ evangelicæ experti, peccata accumulantes, in eam gentilium suorum sortem prolabantur, frustra exspectata alia expiandi peccata hostia præter eam, quam contemnunt, atque indignos se reddunt, ut illius beneficio fruantur, DEO tandem deserente iusto iudicio, ut magis magisque impingant, ac ruant tandem in præcipitium, detineanturque efficacia erroris, ut videntes non videant &c. sicut accidit *Iudæis* cæteris.

ſumendosque tradentis eiusmodi gratiæ DEI inimicos, & in Spiritum S. iniurios.

28. Neque miretur quis hunc iuſtitiæ rigorem; nam ſi quis legem Moysis in quopiam capitali articulo irritam facit, ac transgreditur, absque ulla miſeratione, & indulgentia morte plectitur, ſi duobus, aut tribus teſtibus fuerit ſceleris convictus.

28. Irritam quis faciens legem Moysi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur.

29. Quanto exiſtimatis maiori, & acerbiori, ſine omni miſericordia, ſupplicio afficiendum eſſe, qui ipſum Filium DEI, eiusque legem contemſerit, & turpiter conculcaverit flagitiis, ſceleribus, aut perfidia, qui ſanguinem Chriſti, quo ipſius, noſtri gratia factum Teſtamentum eſt firmatum, velut rem ſordidam abiecerit, abiecta ſpe, & fiducia in illius virtutem, & efficaciam peccata expiandi, nosque ſanctifican-

29. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium DEI conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui a) gratiæ contumeliam fecerit.

30.

a) Quis hic non agnoſcat de eo peccato agi, quod apud Matthæum, aliosque Evangeliſtas peccatum in Spiritum S. dicitur? quibus enim clarioribus verbis tum ipſum ſceleris genus, tum eius naturam deſcribere potuiſſet?

ficandi (cum tamen iam ex hoc ſanguine antea ſanctificationem, iuſtificationemque perceperis) atque Spiritum S., per quem omnis gratiæ abundantia liberaliſſime in cordibus noſtris diffunditur, poſtquam etiam eius afflatum quis accepit, & virtutem expertus fuit, contumelia affecerit, eius moliminibus reſiſtendo, & dona ſpernendo. a)

30. Novimus, quid de ſeipſo, atque iuſtæ iræ ſeveritate in lege veſtra dixerit: *Mihi vindicta, & ego retribuam*, nimirum contemnentes me contemnam, gratiam abiicientes abiiciam, ac repellam. Et iterum de Domino DEO dicitur, eum iudicaturum populum ſuum.

31. Quam

30. Scimus enim, qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: quia iudicabit Dominus populum ſuum.

31.

a) Nemo non intelligit peccatum in Spiritum S. deſignari, cuius funeſtos effectus iam ſuperioribus verſibus deſcripſerat, atque eandem illius definitionem tum hic, tum c.VI.4.5.6. nobis tradit, qualis apud Matth. XII. 31. habetur, paſſimque apud Evangeliſtas extat, dum, modo aperte, modo obſcurius, & plerumque per parabolas, Iudaica gens illius rea agitur: quod clariſſime in hac epiſtola Apoſtolus facit, propius iam accedente die ultionis, & pœnæ tum in hoc, tum altero ſeculo exſpectandæ; cuius terrore Iudæos in Chriſtum iam credentes vult hac epiſtola in fidei conſtantia, & fiducia in merita, ac ſatisfactionem Chriſti ſtabilire, & corroborare.

31. Quam vero horrendum est experiri iudicium strictum Domini, & incidere in manus ultricis vindictæ DEI viventis in perpetuum, & immutabilis?

32. Revocate in memoriam (ut non incidatis in simile infidelitatis, & perfidiæ exemplum) quid pristinis diebus gratia fidei, qua estis donati, in vobis operata sit, ut ea corroborati, non formidaretis magnum certamen variarum passionum, & persecutionum sustinere pro fide.

33. Partim quidem ipsimet opprobiis, & contumeliis affecti spectaculum fuistis hominibus: partim vero eorum, qui talia experti sunt, socii, ob eandem causam non deseruistis eorum consortium, & patienter eis condoluistis.

34. Nam & vinctis misericordia moti, & pio affectu eorum necessitatibus pro facultate succurristis, ac ipsi direptionem facultatum, bonorumque vestrorum cum gaudio interno Spiritus sustinuistis propter spem futuræ melioris, & æternæ substan-

31. Horrendum est incidere in manus DEI viventis.

32. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.

33. Et in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socii taliter conversantium effecti.

34. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem,

ſtantiæ promiſſæ in cœlis talia pro Chriſto ſuſtinentibus in terra.

35. Nolite ergo nunc demum poſt tot inſignia fidei ſpecimina confidentiam veſtram in Chriſtum abiicere, ne forte eam excidatis, perdatisque ſpem obtinendæ magnæ remunerationis.

36. Adhuc enim patientia vobis in his perſecutionibus opus eſt, ut voluntatem DEI ſic conſtanter implentes, recipiatis promiſſam vitæ æternæ hæreditatem.

37. Adhuc enim modicum reſtat temporis, & veniet ad iudicium Chriſtus, præmia perſeverantibus, pœnas deficientibus redditurus:

38. Ipſius enim divini Spiritus per Prophetam effatum eſt, iuſtos, & electos DEI per fidem habere Spiritus vitam; quod ſi hanc amiſerint, & abiecerint, non amplius eos placere poſſe DEO.

39. Nos autem, qui fidem evangelicam amplexi ſumus, non

& manentem ſubſtantiam.

35. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem:

36. Patientia enim vobis eſt neceſſaria, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promiſſionem,

37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit:

38. Iuſtus autem meus ex fide vivit: quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.

39. Nos autem non ſu-

non ſumus ex numero eorum, qui ſe ſubtraxerunt, & relicti ſunt in perditionem, ſed ſumus fideles in fide, ut animas noſtras lucremur, æternamque felicitatem acquiramus.

ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

## CAPUT XI.

*Fidei naturam, & inſignes effectus exponit Apoſtolus; inde ab origine mundi exempla producit, quid pii quique, ac Sancti vi, ac virtute fidei præſtiterint, quamvis ante nos ad poſſeſſionem promiſſionum divinarum pertingere non potuerint: hæc autem omnia eum in finem ab Apoſtolo in medium producuntur, ut Hebræos exemplo Patrum in Chriſti fide, officiis pietatis, & charitatis, ac patientia ob ſpem promiſſionum roboret.*

1. Ut autem, quid præclarum de fide ſentire debeatis, vobis innoteſcat, noveritis eam ipſam eſſe, quæ nobis res ſperandas aliquando, veluti præſentes, ac iam poſſeſſas ſiſtit, certa earum potiendarum perſuaſione DEI infallibili

℣. 1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

bili promiſſioni innitente: atque indubitatam quoque demonſtrationem, convictionem, & probationem invictam præſtat intellectui eorum, quæ nec videt, nec naturali habilitate capit.

2. Ab hac fide inſigniter commendari meruerunt, qui antiquis temporibus vixerunt maiores noſtri.

2. In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.

3. Per fidem nobis innoteſcit, quod ſolo verbo DEI, nulla præexiſtente materia, omnia creata, & ordinata ſerie ita diſpoſita ſint, DEO exterius exerente, quod in ideis æternis inviſibiliter, & ſpiritualiter continebat.

3. Fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula verbo DEI, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.

4. Fidei ardor effecit in Abel, ut de optimis ſuis potiorem quam Cain hoſtiam offerret: unde etiam teſtimonium promeruit iuſtitiæ DEO per ignem cœlitus delapſum, ad ſacrificium conſumendum, ſignum, ac teſtimonium prodente, placitas eſſe oblationes ſuas, & munera. Per eandem etiam fidem poſt mortem adhuc ſuam ſanguis eius clamare dicitur ad DEUM, pro ultione innocentis ſanguinis effuſi

4. Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain, obtulit DEO, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius DEO, & per illam defunctus adhuc loquitur.

propte,

5.

propterea, quod victimæ suæ præ fratris sui essent acceptæ.

5. Propter vivam fidem DEUS Enoch hanc gratiam concessit, ut non sentiens mortem ex hoc mundo auferetur, subito disparens ex oculis humanis, non amplius visus, aut repertus, utpote idcirco ablatus, quod iam antea testimonium habuerit, fide sua placuisse DEO.

6. Namque sine fide nullus potest placere, ac acceptus esse DEO: quilibet enim, qui se serio cultui, & servitio DEI mancipare, & aliquando vultui eius appropinquare in æterna felicitate petit, credat oportet, non solum esse DEUM, sed esse eum etiam remuneratorem inquirentibus se, ac pio cultu prosequentibus.

7. Fidei simplicitate indutus Noe divina revelatione monitus de futuro diluvio orbis, DEI verbum reveritus, arcam fabricavit, qua sua fide sibi, familiæque suæ consuluit ab interitu: & mundus (qui neque Noe dicen-

5. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum DEUS, ante translationem enim testimonium habuit placuisse DEO.

6. Sine fide autem impossibile est placere DEO: credere enim opportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

7. Fide Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ,

R 5 per

centi, peritura omnia diluvio, credidit, neque corrigi voluit, ad effugiendum intentatum exitium) incredulitatis pœnas dedit: ipse vero hæres mansit iustitiæ, quæ ex fide tanquam radice pullulat, & largissimos beneficiorum divinorum fructus per Christum ex eius posteritate nasciturum pollicebatur.

per quam damnavit mundum: & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.

8. Fide cæca Patriarcha vester ABRAHAM, cuius nomen DEUS auxit cum omine, obediens e patria sua exivit, & in terram peregrinam Chanaan secessit, quam accepturi erant eius posteri in hæreditatem longo post tempore; sic autem patria egressus est, ut ignoraret, quo esset ei commigrandum.

8. Fide qui vocatur ABRAHAM obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit nesciens quo iret.

9. Eiusdem fidei intuitu in ipsa terra, quam posteris suis in possessionem datum iri, promissionem acceperat, commoratus est, haud aliter ac in terra, quæ nihil ad ipsum pertineret, utpote in casulis, & tentoriis solum consistens, quo paratus semper esset ad locum mutandum, & hoc modo tum ipse, tum ISAAC Filius, & IACOB nepos, qui erant hæredes eius-

9. Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena; in casulis habitando cum ISAAC, & IACOB cohæredibus repromissionis eiusdem:

10.

eiusdem ſibi promiſſæ terræ, degebant.

10. Non enim ſpem ſuam huic terrenæ habitationi infixam habebat, ſed exſpectabat civitatem, ſolidum, immobile, ac æternum fundamentum habentem, cuius artifex, & conditor ipſe DEUS ſit, ſecus ac caſulæ, & alia habitacula terreſtria, quæ ab homine conſtrui ſolent.

10. Exſpectabat enim fundamenta habentem civitatem: cuius artifex, & conditor DEUS.

11. SARA uxor ABRAHÆ licet non crederet, antequam ſibi perſuaſerat DEI eſſe oraculum, ut filium vetula gigneret, poſteaquam tamen promiſſionem divinam agnoverat, eidem firmiſſimam fidem adhibuit, nihil ambigens de fidelitate divina: ſicque confiſa DEI promiſſioni virtutem, ad concipiendum ſemen accepit, cum nec ætas amplius, nec naturæ alias ſterilis conditio id ferret.

11. Fide & ipſa SARA ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.

12. Sic ergo evenit, ut ab uno, hocque quoad generandi vim emortuo, orta eſſet tanta hominum multitudo, quæ cum ſyderibus cœli in comparationem venire

12. Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc emortuo) tanquam ſydera cœli in multi-

nire posset, & haud minus quam arena ad oram maris, esset innumerabilis,

multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.

13. Cum præter datam fidem nihil essent consecuti isti omnes de cunctis, quas acceperant, repromissionibus, eam tamen constantissime retinuerunt usque ad mortem: a longe, nautarum instar, patriam suam hæreditariam aspexerunt, salutaruntque, professi (quemadmodum habemus in Genesi Patriarchæ Iacob apertam confessionem) se peregrinos, & hospites esse super terram.

13. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram.

14. Qua professione sua manifeste produnt, ac significant, se patriam non in hac terra, sed in altera vita inquirere.

14. Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere.

15. Quod si vero eius terræ, unde exierunt, rationem habuissent, atque pro vera sua agnovissent patria, poterant utique per tempus vitæ, quod eis suppetebat, iterum reverti, & potiri patrio solo.

15. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi.

16. Quod dum non fecerunt, ostendunt se ad meliorem,

16. Nunc autem melio-

rem, quam quæ in terris haberi poſſit, aſpiraſſe habitationem, cœleſtem nimirum DEI promiſſis fidentes. Ob quam fidem nec DEUS probro ſibi duxit vocari peculiariter DEUS Abraham, DEUS Isaac, & DEUS Iacob (haud ſecus ac Rex regni ſui nomen uſurpat) ſic ab illis vocabulum ſumens, quibus patriam, civitatem, & regnum ſuum paravit.

liorem appetunt, id eſt, cœleſtem. Ideo non confunditur DEUS vocari DEUS eorum: paravit enim illis civitatem.

17. Vultis adhuc plura de præſtanti patrum veſtrorum fide noſſe, quid inſignius Abrahæ fide, qua ſacrificare paratus fuit Isaac, ſicut præceperat ei DEUS, ad tentandam eius fidem: offerre ergo unigenitum Filium in præcinctu erat, cuius tamen promiſſionem divinam, de multiplicando ſemine, & ſtirpe propaganda, acceperat.

17. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerrebat, qui ſuſceperat repromiſſionem;

18. Hoc enim ipſo ex ore divino verbum acceperat: ſemen quod ex Isaac, nullo alio tuorum filiorum, prodibit, in eo mea promiſſa implebuntur.

18. Ad quem dictum eſt: quia in Isaac vocabitur tibi ſemen:

19. Pro certo tenens, quod & a mortuis reſuſcitare po-

19. Arbitrans, quia &

potens sit DEUS: quare etiam ISAAC typus factus fuit Christi, eumque e monte reduxit ABRAHAM ferentem similitudinem Filii DEI, qui oblatus est pro nobis, sed resurrexit, nec a morte detineri potuit.

& a mortuis suscitare potens est DEUS: unde eum & in parabolam accepit.

20. Hic autem ipse ISAAC de longe post futuris rebus DEO credens, secundum hanc fidem benedictionem filiis suis IACOB, & ESAU impertiit, prædixitque, quæ nondum videbat, haud dubitans fore implenda, quæ ei DEUS revelaverat.

20. Fide, & de futuris benedixit ISAAC, IACOB, & ESAU.

21. Paris fidei opus fuit, ut IACOB moriturus utrique filio IOSEPH benediceret, haud secus ac propriis: fastigium etiam sceptri IOSEPH veneratus, tanquam figuram regni Messiæ aliquando futuri.

21. Fide IACOB moriens singulos filiorum IOSEPH benedixit: & adoravit fastigium virgæ eius.

22. Ipse IOSEPH moriens certa fide persuasus de exitu Israelitarum ex Ægypto, licet longe post futuro, mandavit, ut dum proficiscerentur, ossa sua secum deferrent ad promissam terram.

22. Fide IOSEPH moriens de profectione filiorum ISRAEL memoratus est, & de ossibus suis mandavit.

23. Pa-

23.

23. Parentes Moysis cum ſcirent, ac firmiter crederent in divinas promiſſiones de occupanda terra Canaan, non timuerunt Regis edictum de occidendis maſculis, ſed natum Moysen tribus menſibus occultarunt, ſervaruntque, ex ſpecie eius eximia indicium ſumentes, velle eum ſervari DEUM.

23. Fide Moyses natus occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis, eoquod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.

24. Ut vero Moyses ætate profectior fuit factus, conſimili de DEI promiſſionibus fide animatus, noluit haberi filius natæ Pharaonis:

24. Fide Moyses grandis factus negavit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.

25. Magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalibus deliciis, & voluptatibus indulgere, quibus ſine peccato, & grandi relicti fœderis divini ſcelere uti non potuiſſet.

25. Magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere iucunditatem.

26. Pro maioribus enim divitiis, quam eſſent omnes theſauri Ægyptiorum, opprobria, & fata perferenda duxit, quæ ipſe Chriſtus Filius DEI aliquando erat perlaturus, ut ſic intraret in regnum ſuum: ſecum reputabat ergo Moyses, ſi remunerationem hæreditatis cœleſtis accipere vel-

26. Maiores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.

vellet, etiam improperium eius ferre se debere, cuius typum gerebat.

27. Credens divinis promissis idem eduxit populum Israeliticum ex Ægypto, nihil veritus animositatem, & pertinaciam Regis PHARAONIS sæpius sibi exploratam, DEUM enim adiutorem mente ceu oculis cernebat, & omnia eius causa libenter perferebat.

27. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: invisibilem enim tanquam videns sustinuit.

28. Eadem quoque fidei in DEUM sinceritate celebravit pascha, effuso agni sanguine postes ædium Hebræorum liniens, ne Angelus vastator Israelitarum pariter ut Ægyptiorum primogenita tangeret, & occideret.

28. Fide celebravit pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.

29. Fide postmodum Israelitas universos traduxit per mare rubrum, tanquam per aridam terram: quod dum experiri etiam tentarent Ægyptii, maris undis obruti perierunt.

29. Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt.

30. Fidei effectus fuit, ut muri Iericho sine omni humana manu admota corruerent, postquam diebus septem cum tubis & clamore cir-

30. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem.

31.

circuissent Sacerdotes Domini.

31. Fidei in acceptis referre debet RACHAB meretrix, quod cum ceteris infidelibus non perierit in direptione urbis, quoniam excepit exploratores Israeliticos, & credens verbis Domini eosdem occulte dimisit, nec prodidit optimatibus urbis quærentibus.

31. Fide RACHAB meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

32. Et quid plura opus est accumulare exempla? tempus enim me deficeret, si saltem enarrare vellem, quænam præclara ope fidei gesserint GEDEON, BARAC, SAMSON, IEPHTE, DAVID, SAMUEL, ac magnus ille Prophetarum numerus.

32. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantem de GEDEON, BARAC, SAMSON, IEPHTE, DAVID, SAMUEL, & Prophetis,

33. Qui per fidem vicerunt Reges, & regna eorum instigante Numine, aut favente susceptis bellis, eiusque virtute perfectis: operati sunt iustitiam tum privatim, tum publice ut iudices, Duces, ac Reges ius & iustitiam administrantes: quare etiam varias, ac peculiares sibi a DEO factas promissiones, ad fortunam sui, ac commissi sibi populi spectan-

33. Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum.

ſpectantes, ſunt adepti, per eandem fidem, per quam & quidam eorum etiam leonum ora obturaverunt, ut nihil nocere poſſent:

34. Sunt quos eadèm fidei conſtantia ſalvos fecit, ut ardor, & flamma ignis, in quem fuerunt iniecti, non noceret eis: alii evaſerunt per divinum auxilium aciem hoſtilis gladii, in eos irruentis: alii convaluerunt inſigni miraculo præter omnem exſpectationem, & naturæ curſum ab infirmitate: præclara, & humanam virtutem excedentia præſtiterunt in bellis fortitudinis ſpecimina: alienigenarum gentium caſtra, & exercitus præter humanam opem profligarunt.

34. Extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.

35. Mulieres etiam fidei ope filios iam mortuos vivos iterum de reſurrectione receperunt Prophetis ſuſcitantibus. Non defuerunt, qui pro fidei magnitudine equuleis variisque tormentis diſtendi ſua corpora paſſi ſunt, nolentes redimi ab illa pœna, cum liceret eos eſſe incolumes, ſi ceſſiſſent impiorum conſilio: atque hoc

35. Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: alii autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemtionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem.

36.

hoc fecerunt ob fidem, ac ſpem reſurrectionis longe melioris, quam eſſet exigua vitæ uſura.

36. Alii eadem fidei firmitate libenter ſuſtinuerunt ludibria, ac verbera; inſuper in vincula ſunt coniecti, & ſqualorem carcerum experti.

37. Alii lapidati ſunt, diſſecti, ac membris truncati, ac aliis innumeris modis tentati, gladio etiam peremti: uſi ſunt pro veſtimentis ovina, aut caprina pelle, veſtium genere pauperrimo: omnibus rebus, omnique vitæ ſubſidio egentes, ſumma in anguſtia conſtituti, atque cum omni malorum genere conflictantes.

38. Hoc modo abiecti a mundo, & male tractati, multi eorum ab hominum ſocietate abſceſſerunt, cum mundus illis non eſſet dignus: hinc aufugientes in ſolitudinibus errarunt, in montes, ſpeluncas, cavernas ſeſe recondiderunt.

39. Et hi quidem omnes, quorum exempla recitavimus,

36. Alii vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres,

37. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti:

38. Quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ.

39. Et hi omnes teſti-

mus, probati sunt per fidem DEO placuisse: & tam præclara spectacula præbuerunt, dum nondum promissa iustis præmia darentur. Quid igitur vos doletis, & impatienter fertis agonem, ita ut deficere videamini?

stimonio fidei probati non acceperunt repromissionem,

40. Cum DEUS sua providentia pro nobis novæ legis fidelibus sectatoribus melius longe prospexerit, ac tanto potiorem voluerit esse nostram conditionem, adeo ut non ante nos priores illi patres ad perfectam promissionem, adeptionem, fruitionemque pervenirent. a)

40. DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

CA-

a) Tentationum, persecutionumque acerbitas Hebræos conversos labefactabat: erigit ergo eos Apostolus spe promissionum, quarum exspectatione iusti quique inde ab origine mundi egregia, & insignia omnia operati sunt, ac dira quæcunque perpessi, quamvis statim promissis potiri non potuerint, & longe diuturnius sola spe nutrire se debuerint, ante nos ac novam legem non gavisi desideratis. *Anima*, inquit S. CHRYSOST. T. XII. p. 4. B. Præfat. in hanc epistolam, *ipsorum crebris quassata tentationibus dimovebatur a soliditate fidei, ideo confirmat eos talibus adhortationibus, ne sint corde incredulo, atque hæc est causa, cur in hac potissimum epistola multa de fide disserat, ubi multis allatis exemplis circa finem ostendit, Patribus quoque non repræsentata, quæ promissa sunt. Ad hæc ne se putarent derelictos in adversitatibus, duobus modis eos instruit: primo quæcunque acciderint iubens ferre fortiter: deinde sperare certum præmium. Deum enim non neglecturum inhonoratum Abelem, & reliquam deinceps iustorum seriem.*

# CAPUT XII.

*Allatis inſiſtens ſuperiori capite exemplis Patrum, qui fide, ac ſpe promiſſionum divinarum inſignia facinora ediderunt, & mira quævis patrarunt, ac novo etiam propoſito Chriſti exemplo urget Hebræos, ad eandem fidei conſtantiam, tolerantiam adverſorum quorumvis, ac perſecutionum: quæ omnia a manu DEI tanquam correptionem pii parentis libenter accipere, ac ſufferre debeant. Et quoniam iam ſuccumbere incipiebant, ac vacillare, monet ut ſe erigant, antequam penitus concidant: hortatur ad charitatem, & ſanctitatem ſectandam, neve gratiæ DEI deſint; terret exemplo Eſau, ne, cœleſtia ob terrena relinquentes, excidant promiſſionibus Novi Teſtamenti, cum DEUS ſit vindex terribilis ſpretarum gratiarum, & non ſervati pacti.*

1. Cum igitur tanta ſuppetat multitudo, & ceu nubes nos undique ſepiat copia teſtium, nobis in exemplum propoſitorum, ut cum fide, & patientia ſuperemus omnes difficultates, quæ curſum

℣. 1. Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos

ſum ſemel cœptum ad vitam beatam remorari poſſent, abiiciamus pondus omne, & ſarcinam earum rerum, quæ animum deprimere, & inertem reddere valent, quæque nos undique infeſtat, & circumcingit peccandi prurigo, libidoque: ſatagamus omni animi contentione, & indefeſſo labore certamen nobis oblatum fortiter ſuſtinere, ac pugnare,

peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.

2. Mentis noſtræ oculos coniicientes, atque acuentes ſtudium noſtrum exemplo Chriſti Domini: is quidem auctor, & conſummator, principium, & finis fidei noſtræ, non ſolum præſes agonis, verum etiam largus diſpenſator virium, & gratiarum ad eum abſolvendum, cum æternis gaudiis frueretur, liceretque ei tam procul abeſſe ab omni cruciatu, quamvis expers erat peccati, elegit tamen acerbam in cruce mortem ſuſtinere, non attento probro, & ignominia, ſicque ad dexteram throni divini evectus eſt.

2. Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Iesum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemta, atque in dextra ſedis DEI ſedet;

3. Hunc reſpicite, & apud vosmetipſos recogitate, quantopere ipſi peccatores adverſati,

3. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit

ſati, eumque ad mortem uſque perſecuti ſint, contrarii ſemper ſtudiis eius, ad eorum ſalutem unice collimantibus, quæ tamen omnia patienter tulit: hæc attendite quæſo, ut iſtis animati, non defatigemini in laboribus, & perſecutionibus: atque animum deſpondentes deficiatis tanquam derelicti, & deſtituti ab ipſo. a)

nuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini animis veſtris deficientes.

4. Ipſe quidem ad ſanguinem, & mortem uſque afflictus eſt, vos autem nondum eousque repugnando motibus interius, exteriusque ad peccatum vos impellentibus reſtitiſtis: non enim tam graviter tentati eſtis ad varia in DEUM ſcelera committenda, præſertim infidelitatis, ac deſertionis.

4. Nondum enim ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.

5. An vero, dum adverſus vos mala inſurgunt, & ad

5. Et obliti eſtis conſola-

a) Nihil acrius, vehementiusque eſſe poſſit hac incitantis Apoſtoli oratione ad fortiter in ſtadio currendum, & inceptum certamen proſequendum: non ſolum allatis exemplis veterum, verum etiam ipſius Chriſti Domini, qui tum ſuis factis nos ſtimulet, tum etiam, ac potiſſimum parta nobis gratia animet, & roboret, nec nos deſerat, niſi deſeratur a nobis ſub onere ſuccumbentibus, & deficientibus.

ad defectionem provocant, non recordamini illorum, quæ Spiritus S. dicit, varie afflictos tanquam filios alloquens verbis consolationis plenis: Fili mi noli negligere fructum, quem potes percipere, si patienter, & fortiter suffers castigationem a Domino tibi oblatam, nec fatigeris, ac concidas, dum ab eo argueris per flagella, & tribulationes exerceris, ac veluti calcaribus ad proficiendum instigaris.

solationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens: fili mi noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris.

6. Quem enim vero amore prosequitur DEUS, hunc castigat, ut exerceat in virtutibus, & ad remunerationem dignum reddat: & quem in sinum gratiæ, alienatum prius peccatis, iterum recipit, hunc acribus etiam flagellis excipit, interim reiectitios, favore indignos, a gratia repulsos, atque desperatos corruptis moribus, & desideriis relinquit.

6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.

7. Quare cum patientia, & perseverantia usque ad finem correptiones Domini, quibus vos paterno affectu ad profectum vestrum afficere solet, sustinete; ut pius quilibet, & de salute filii sollicitus pa-

7. In disciplina perseverate: tanquam filiis vobis offert se DEUS: quis enim filius, quem non corripit pater?

8.

pater is habetur, qui verbis, & verberibus filium corripiendo, in officio continere, ac erudire consuevit.

8. Quodsi vero eas castigationes, quas omnes subire debuerunt, qui unquam veri filii fuerunt habiti, non experimini, nec toleratis: sciatis vos spurios, ac adulterinos potius esse, & a sorte filiorum extorres.

8. Quodsi extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.

9. Deinde si parentes carnales, a quibus solum corpus accepimus, erudire nos, & corripere patienter tulimus, & reverenter suscepimus, quidquid adversum nos egerint: an non multo magis feremus DEUM auctorem, & conditorem animarum nostrarum, eiusque ductum sequemur, qui castigando, & erudiendo ad vitam perennem nos ducit?

9. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus?

10. Præterea parentes corporales ad breve tempus nos filios suos erudiunt, atque pro suo arbitratu, quo non semper assequuntur id, quod imprimis utile foret, ac proficuum: at hic perpetuo nostris commodis invigilat, eruditionem præstando, & cor-

10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in reci-

 pien-

correptionem; non terrenam, & fluxam utilitatem nobis procurans, sed perenniter salutarem nobis impertiendo sanctificationem eam, quam adeptus est, acerbissimas in se expertus animadversiones, usque ad profusum sanguinem, & mortem lytrum redemtionis nostræ, & pretium salutis æternæ.

piendo sanctificationem eius.

11. Omnis quidem castigatio, dum infligitur ad correptionem sive a terrenis, sive a cœlesti Patre, dolorem, & mœstitiam affert; ast successu temporis iam hic in terris exercitatis conciliat fructum suavem iustitiæ, & sanctitatis: in altera autem vita pacem, & quietem sempiternam, cum perfecta iustitia nobis promittit, & ostentat.

11. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

12. His igitur stimulis excitati tum oblatæ per Christum gratiæ, tum etiam promissæ æternæ vitæ, manus vestras, quæ iam remissæ videntur per inertiam, & genua dissoluta, atque sub onere laborum, & tribulationum labascere, ac corruere incipientia iterum erigite, & confortamini per præsens gra-

12. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite.

13.

gratiæ ſubſidium in Chriſto præparatum, ſpeque æternæ remunerationis pro momentaneo labore. a)

13. Greſſus rectos in via vera chriſtianæ fidei, ac vitæ facite, ut pedibus veſtris neque in dexteram, aut ſiniſtram declinetis: aut etiam quis in officiis ſuis, & tolerantia vacillans, nec bene in via Domini incedens, errando pereat: ſed ut potius, cui iam pes læſus, ac greſſus perverſus, ſanetur, & convaleſcat reſumto Spiritu per hæc propoſita exempla, præſentemque exhortationem, tum verbis, tum factis, tum etiam correptionibus ad ſanitatem priſtinam opitulante divina gratia redeat.

13. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.

14. Pacis quidem, & amicitiæ ſitis ſtudioſi cum omni-

14. Pacem ſequimini-

a) Superius ſimilitudine aquæ defluentis, nunc ſchemate remiſſarum manuum, & ſolutorum genuum utitur: illic terret incuſſo timore poſtremæ ruinæ: hic hortatur, & excitat ob oculos ponendo pronum eorum ſtatum ad lapſum & ruinam, niſi remiſſam operam, & flaccida, labaſcentiaque ſtudia fidei, & ſanctitatis ad priſtinum vigorem per virtutem gratiæ reſtituant. Hactenus nihil omiſit, ut eos ad ſanitatem quærendam incitet, exemplis, ipſaque ope, qua ſanari poſſent, propoſita, ne claudicare pergentes penitus tandem aberrent, & pereant.

mnibus hominibus conservandæ, quatenus fides, religio, & DEI voluntas permittit, quærentes quidquid ad eam facere possit: modo nihil sanctitatis studio officiat, quæ est omnibus consectanda, & in omnibus nutrienda, cum sine hac nullus ad DEUM videndum, eoque fruendum pertingere queat.

ni cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM.

15. Cavete ergo tum vobis ipsis, tum aliis per monita, & exempla, ne quis destituatur gloria, quæ nobis est præparata, & excidat promissionibus factis, non satis respondens gratiæ moliminibus, nec bene talentum datum collocans. a) Ne qua radix amara falsæ doctrinæ, aut pravi exempli inter vos germinans, messem impediat, plures etiam inqui-

15. Contemplantes ne quis desit gratiæ DEI: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

16.

a) Monet hic Apostolus, ut solliciti sint, ne gratias oblatas disperdant, & dum aspirant, negligantur, non respondendo vocationi divinæ: non tantum hoc in se quemque attendere, & curare vult, verum etiam in aliis, hortationibus, ac exemplis effici: cum contra fieri possit, ut unius pravitas plures corrumpat. Aptissima autem hæc sunt non solum superioribus adhortationibus ab exemplis, verum etiam proxime datæ monitioni de remissis manibus, & solutis genibus erigendis.

quinando, & fructu ſperato fraudando.

16. Conſiderantes, ne quis ſit in vobis fornicator a) aut profanus res ſacras contemnens, ac nihili faciens, ſicut ESAU, qui ius primogenituræ pro vili eſca vendidit, quod non ſolum temporalem proſperitatem, verum etiam ſpiritualia bona, & promiſſa per Chriſtum nobis præſtanda complectebatur: cuius ESAVI exemplum alii ſectantes æternas pollicitationes pro terrenis rebus, eſcis, voluptatibus commutant.

16. Ne quis fornicator, aut profanus ut ESAU, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua.

17. Noveritis enim, & ad ſalutarem veſtrum terrorem notetis, quod quamvis poſtmodum cuperet venditum primogenituræ ius benedictione paterna recuperare, id tamen conſequi non potuit, ſed reiectus eſt, tam a parente benedictionem impertiente, quam a DEO eius effectum præſtante: neque pro-

17. Scitote enim, quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit locum pœnitentiæ, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam.

18.

a) *Mihi videtur*, ſunt verba S. CHRYSOSTOMI in hunc locum, *ſubindicare quosdam in eis fornicatores.* Ex quo erui poteſt alia etiam ſcelera, quam ſola defectio, ad lamentabilem caſum, de quo hic S. Apoſtolus, exemplo ESAVI producto inducere poſſe.

profuit illi ſero pœnituiſſe, tametſi multis lacrymis conteſtaretur, quantum de iactura hac doleret; non enim ad talem pœnitentiam pervenire potuit, aut etiam parentem inducere, ut amiſſam primogenituram reciperet. a)

18. Non ergo cum ESAU, qui eſt typus veteris veſtri Teſtamenti, ad benedictionem,

18. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem mon-

a) Non eſt dubium, quin ESAU veram pœnitentiam non egerit, quia temporaneum damnum tantum flevit, & infenſum animum in fratrem geſſit. *Quoniam*, inquit in hunc locum S. CHRYSOSTOMUS, *non quomodo oportuit, egit pœnitentiam.* Qui idem S. Pater applicationem hiſtoriæ ESAVI ad præſentem Iudæorum ſtatum, quando eos alloquebatur Apoſtolus, optime declarat ad noſtrum prorſus explicandi modum, quo in hac epiſtola omnia nexa eſſe putamus, atque ad hunc unum ſcopum collimantia, ut Iudæos chriſtianum nomen iam adeptos, & vacillare incipientes iterum erigat, ne rurſum relapſi cum reliqua gente ruinam imminentem incurrant, ablata ſibi benedictione, & gentilibus impertita ad hæreditatem cœleſtem: huius enim rei figuram fuiſſe IACOBI, & ESAVI hiſtoriam ambigere non licet. Quod ut melius explicaret S. Doctor, cui præprimis mens Apoſtoli perſpecta eſſe poteſt, ſuperiores adhortationes de erigendis manibus remiſſis, & genibus ſolutis huc reducit: unde pateat adhuc non eſſe effluxum tempus, nec præſentem ruinam, & excidium, dummodo vere pœniterent, non ſicut ESAU, non ſicut reliqua gens Iudaica, cuius iam interitus immineret. Iudæi, ad quos Apoſtolo ſermo erat, iam ſe a ſorte ESAU, id eſt Iudæorum ſeparaverant, & ad IACOB converterant, ſed claudicare incipiebant, & redituri videbantur, quo ipſo caſui, & execrationi cum reliqua gente appropinquabant, nondum penitus ad-

nem, & hæreditatem promissionum rursus accedere debetis, quam iam præripuit ei IACOB, Christi Ecclesia ex gentilibus aggregata, alias iure filiorum DEI excidetis: nec poterit vobis synagoga dignas pœnitentiæ lacrymas præbere, ut hæreditariam benedictionem capiatis cum gente vestra, quæ ob vilem escam temporalium voluptatum, & prosperitatum vendidit ius primogeniti: IACOBO ergo cum vos iam sociaveritis, Christi fidem amplexi, constanter ei adhæreatis oportet, ut reportetis repromissiones, & benedictionem hæreditatis æter-

montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,

19.

dicti, quia adhuc & tempus, & locus pœnitentiæ per Christum residuus. *Alioqui*, inquit S. CHRYSOSTOMUS, *quomodo hæc diceret? quomodo cum segnes & pigri evasissent, eos rursus adhortaretur? quomodo cum claudi facti essent? quomodo cum essent remissi, & soluti? Hoc enim est initium lapsus. . . .* Non invenit, *inquit*, pœnitentiæ locum, *non invenit pœnitentiam, an quod peccavit maiora, quam ut eorum agi possit pœnitentia? an quod dignam pœnitentiam non fecerit? sunt ergo peccata aliqua maiora, quam ut eorum agi possit pœnitentia: hoc est ergo quod dicit: NE CADAMUS CASU INCURABILI. Donec fuerit solum claudicatio, facile est rectum fieri: sin autem fuerimus penitus eversi, quid de cetero restabit? Cum iis enim, qui nondum ceciderunt, sic loquitur, metu eos concutiens, & dicit fieri non posse, ut qui ceciderit, unquam assequatur consolationem: iis autem, qui ceciderunt, ne incidant in desperationem contrariam, sic dicit:* Filioli mei, quos iterum parturio,

ternæ, non tantum fluxæ, & terrenæ, qualem ESAU adhuc obtinuit, id est synagoga, sed quæ in comparationem non veniat cum benedictione IACOB, seu Christiani populi, cui vos iam iunxistis: atque hinc non accessistis ut olim legem accepturi, & promissionum Testamentum ad montem contrectabilem manibus, terrenumque (qui elementari igne accensus ardebat) turbinem, caliginem, & procellam.

19. Tubæ sonitum, & vocem verborum, quam qui audierunt expavefacti, horroreque concussi rogarunt, ne ad eos DEUS pergeret ipse verba facere.

19. Et tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.

20. Ita

20.

donec formetur in vobis Christus. *Et rursus:* Qui in lege iustificamini, a gratia cecidistis. *Ecce testatur eos excidisse.* Secundum S. Patrem ergo ad Iudæos conversos loquitur terrenda a lapsu: Iudæos necdum conversos ad resurgendum animat, ut quamdiu est locus pœnitentiæ, & tempus resipiscendi, illud ne præterire finerent. Causa ergo ruinæ semper in nobis, si lapsi non resurgimus, nec pœnitentiam agimus: sed agere pœnitentiam, ut oportet, gratia est, cuius participes non sunt, qui eam aliunde quam a Christo, a lege gratiæ flagitant cum lacrymis.

20. Ita terribilis erat vox illa, ut humanæ aures ferre non poſſent: unde nec propius ad montem accedere eis permiſſum: atque beſtia etiam, ſi tetigiſſet montem, lapidibus obruenda erat.

21. Sic ad terrendum omnia compoſuit DEUS, atque eiusmodi horribilis erat rerum facies, ut ipſe Moyses exterritum ſe, & tremebundum confeſſus ſit.

22. Non vos ad talem acceſſiſtis montem initiati fide, ac fœdere Chriſti, qualis fuit mons Horeb in legislatione fœderis Moſaici, ſed montem ſanctum Sion, ubi eſt regia, & civitas DEI viventis, nimirum cœleſtis Ieruſalem, in innumerabilium Angelorum cœtu, ac frequentia.

23. In Eccleſia, ac ſocietate eorum, qui cum Iacob ius primogeniti Esavo præripuerunt, benedictionis paternæ hæredes ſcripti, ad cœleſtem in cœlis hæreditatem percipiendam. Non per Moysen accepta promiſſione, ſed ipſo DEO, qui eſt iu-

20. Non enim portabant quod dicebatur: & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.

21. Et ita terribile erat, quod videbatur, Moyses dixit: exterritus ſum, & tremebundus.

22. Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem DEI viventis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam,

23. Et Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium DEUM, & Spiritus iuſtorum perfectorum,

iudex universorum, hoc adiudicante animabus iustis, perfectisque in hac vita per fidem, & charitatem, in altera per plenam sanctitatem, & gloriæ possessionem.

24. Quæ quidem omnia consequimur per IESUM Christum, qui est mediator, & Pontifex novi Testamenti, quo hæredes scribimur omnium horum bonorum, firmato hoc Testamento, ut solet fieri, effusione sanguinis ipsius mediatoris, qui sanguis multo melius pro nobis loquitur, quam sanguis ABEL, non vindictam clamans, sed misericordiam, & propitiationem impetrans pro iis, qui eo consperси fuerint. a)

25. Ca-

24. Et Testamenti novi mediatorem IESUM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam ABEL.

25.

a) Postquam Iudæos Christianos allato ESAVI exemplo terruit Apostolus, rediit ad comparationem novi, & veteris Testamenti, quam per integram epistolam urget: nunc vero demum huius rei causa & consilium Apostoli, & contextus epistolæ totius se plane, ac perfecte prodit, in ESAU, ut diximus, veteris Testamenti typus, & IACOB novi, in illo Iudæi, in hoc gentiles. Hi Iudæis ius primogenituræ, & paternæ benedictionis præripuerunt, promissionum nimirum cœlestium: his se iunxerunt Iudæi, ad quos scripsit PAULUS: hortatur ergo, ne imitatores ESAVI eandem cum illo pœnam incurrant, quod ne contingat, opus esse, relicto veteri fœdere in novum confidant, quod benedictione paterna æternarum promissionum, iureque primogenituræ gaudeat.

25. Cavete ergo, ne recusetis Evangelium benedictionum cœlestium per Christum ad nos allatum, illudque profanetis: si enim patres vestri Israelitæ, recusantes audire Moysen, vel Angelum, eiusque pactum, ac legem non servantes, qui super terram corporalibus tantum vocibus, ac signis loquebatur, vindictam, & pœnam non effugerunt: quid vobis metuendum non erit, si de cœlo loquentem per Filium cœlitus demissum, & Spiritum S. in corda nostra illabentem, & per varia dona, ac charismata sua interius, exteriusque afflantem aversati fuerimus? a)

25. Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos: qui de cœlis loquentem nobis avertimus,

26. Cum autem vox DEI tunc, cum lex vetus ferretur, terram concussit tantum, per Prophetam de præsenti novi Testamenti tempore

26. Cuius vox movit terram tunc; nunc autem repromittit dicens:

a) Non ergo soli Iudæi sectatores veteris legis desertionis pœnam subierunt: sed illius longe adhuc gravius periculum iis imminet, qui gratiam novi Testamenti pessumdant, & conculcant: hi enim, quo melioribus promissionibus instructi, quo amplioribus auxiliis adiuti, quo præstantiorem mediatorem nacti &c. Eo graviorem in se DEI vindictam provocant, si nihil his proficientibus a fœderis conditionibus excidant, & tanta bona in cassum recipiant.

pore prædicitur: ſe nunc adhuc ſemel non ſolum terram, ſed etiam cœlum commoturum, ad Iudæorum ferrea concutienda pectora: unde, ſicut legimus de hoc tempore, terra tremuit in morte, & reſurrectione: cœli aperti ſunt non ſemel voce audita, miſſo Spiritu S. non ſine cœleſti ſonitu ſequentibus effectibus in miraculis, aliisque donis cœleſtibus exterius, interiusque aſpirantibus, nosque moventibus.

27. Quod autem per AGGÆUM dicitur, adhuc ſemel commotionem ſecuturam: deſignat tempus futurum, quo ſit inſtituenda translatio eorum, & immutatio, quæ per MOYSEN ante poſita fuerant, ut deinceps maneant, & perſeverent in novo Teſtamento, quæ ſunt æterna, ac nulli mutationi obnoxia: DEO edicente ſemel adhuc futuram motionem, conſequenter ea ſtabilia fore, quæ hac commotione conſtituenda ſint: ſicuti neceſſitas ſecundæ huius poſt primam illam motionem declarat prioris inſtabilitatem, mobilitatemque.

28. Ita-

cens: adhuc ſemel, & ego movebo non ſolum terram, ſed & cœlum.

27. Quod autem adhuc ſemel dicit: declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea, quæ ſunt immobilia.

28.

28. Itaque cives adſcripti in regno Chriſti, quod æternum ſtat, atque ſuſcepto novo fœdere immobili, ſummum ſumus conſecuti beneficium, ac gratiam, habemus cœleſtia auxilia, ut per obſequium ſervitutis noſtræ ſecundum legem a Chriſto latam, datumque Evangelium DEO grati, & accepti eſſe poſſimus, ſi modo cum metu, & reverentia ſalutem noſtram operati fuerimus, a) conſtanter adhærentes, ac ſervantes fœderis conditiones, quas Chriſti religionem amplexi iuravimus.

28. Itaque regnum immobile ſuſcipientes habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes DEO, cum metu, & reverentia.

29. Alias experiemur DEUM non impune laturum contemtum, ac neglectum ſuarum gratiarum: eſt enim DEUS zelotes, cuius ira terribilis, in igne furoris ſui conſumens fœderis diſſipatores,

29. Etenim DEUS noſter ignis conſumens eſt.

CAP. XIII.

a) Cum metu ergo, & reverentia ad uſum oblatæ gratiæ hortatur Iudæos converſos, ne ſecuritatem ſibi eo ſolum nomine polliceantur, quod adſcripti ſint Teſtamento, & fœderi tam inſigni, quale hactenus eſſe novam legem præ veteri oſtendit. Metuendum enim cavet, ne non perſeverando conſtanter in pacto, & gratiam peſſumdando DEUM ad iracundiam provocent, qui ſicut eſt largus in donando, ita etiam ſeverus in puniendo.

res, flammisque ultricibus addicens.

# CAPUT XIII.

*Commendat Hebræis christianis Apostolus charitatem fraternam, hospitalitatem, misericordiam erga vinctos, & aliis modis afflictos. Legitimum coniugii usum deprædicat, fornicationem, & adulterium detestans: dehortatur ab avaritia. Imitationem præpositorum inculcat, in perseverantia, ac constantia eiusdem semper doctrinæ retinendæ, reiectis novis, & peregrinis præsertim circa legalia, quorum usum damnat, gratia potius stabiliendum cor, quam escis: hostiam Eucharisticam extollit, quam extra Iudæorum communionem sumere debeamus, sicut Christus extra civitatem hoc sacrificium obtulit: hostiam etiam laudis, & confessionis, nec non beneficentiæ commendat; iubet ut obediant præpositis, & pro se orent: bene precatur, ac salutationibus claudit tandem epistolam.*

1. Quod si autem desideratis, ut vobis sit propitius DEUS, & pius, satagite ut charitas inter vos tan-

℣. 1. Charitas fraternitatis maneat in vobis.

2.

tanquam inter fratres firma ſemper conſiſtat, ac perſeveret.

2. Inter mutua autem charitatis officia hoſpitalitatem præprimis colere ne unquam intermittatis, quæ quantopere ſibi grata ſit, & accepta, aliquando aperto indicio manifeſtavit DEUS, dum tecta ſpecie Angelos ad quosdam hoſpites deſtinavit.

2. Et hoſpitalitatem nolite oblivifci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.

3. Eorum, qui pro Chriſti nomine in vinculis detinentur, tam ſollicitam curam gerite, ac ſi ipſi vos ſimul cum illis vincti eſſetis: haud minus erga eos, qui aliis modis laborant, affliguntur que, pietatis, & miſericordiæ munera explete; memores vos etiam mortali corpore eſſe indutos, iisque & ipſi malis obnoxios.

3. Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti: & laborantium, tanquam & ipſi in corpore morantes.

4. Nemo coniugium damnet, res eſt ſane prorſus honorabilis, ac ſacra in ſua inſtitutione, & legitimo uſu, niſi ei macula aſpergatur per illicitam thori uſurpationem, quod faciunt fornicatores, qui extra connubium ſibi copulantur, & adulteri, qui alienis commiſcentur, ſeve-

4. Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit DEUS.

ram divini iudicii ſententiam accepturi.

5. Vitam, ac mores præbete alienos ab avaritiæ labe, ac bona quovis modo, & arte accumulandi anxio ſtudio, contenti viventes iis, quæ conceſſerit DEUS: cum ex divino ore pollicitationem acceperimus his conceptam verbis: *Non ego te deſeram, neque derelinquam.*

5. Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: non te deſeram, neque derelinquam.

6. Quoniam itaque tam perſpicue DEI habemus fidem obſtrictam, licet nobis poſita in eius adiutorium certa fiducia, verba Pſaltis uſurpare: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo:* ſive me perſequatur, ſive bonis meis inhiet, ſive quaſcunque res, ac fortunas diripiat, DEUS eſt præſidium meum, ſpes mea, nihili facio iacturam rerum quarumvis, aut quidquid mali mihi ab homine accidat; DEUS mihi adiutor aſſiſtat modo, adſitque gratiæ ſuæ auxiliis, quibus ad æterna bona eniti queam.

6. Ita confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo.

7. Sæpius in memoriam revocate, & tacita animi cogitatione vobiſcum repetite, qua-

7. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui

quales fuerint præpoſiti veſtri, Apoſtoli, & præcones fidei, qui vobis verbum DEI expoſuerunt, Evangelii, novæque legis dogmata, & præcepta annunciarunt: quos dum cernitis conſtanter uſque ad mortem in lege evangelica perſeveraſſe, & pro ea etiam mortem ſubiiſſe, eos imitamini in hac fidei conſtantia, nihil dubitantes de ſinceritate prædicati Evangelii, nihilque nutantes in accepta ab illis fidei doctrina: licet enim ipſi mortui ſint,

8. Chriſtus tamen Iesus ab initio fuit, qui modo eſt, & erit quoque idem ſemper in ſæcula: quare eadem etiam illius fides, & Evangelium ſit oportet.

9. Nullam ergo varietatem in doctrina evangelica admittite, illis firmiter adhærentes, quæ vobis primi fidei præcones a Chriſto emiſſi, tradiderunt: neque vobis obttudi patiamini nova, & peregrina, aliunde nimirum quam in ſchola Chriſti enata dogmata, quibus tum hæretici, tum Iudaizantes chriſtiani vos a vera Chriſti doctrina, evangelicæque legis puritate ab-

qui vobis locuti ſunt verbum DEI, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.

8. Iesus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſæcula.

9. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci: optimum eſt enim gratia ſtabiliri cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

abducere gestiunt, quibusdam etiam in escis, ritu Mosaico, nescio quam sanctificandi animum vim reponentes. Verum cor christianum non cibis, sed gratia DEI, charismatibus, ac donis Spiritus Sancti stabilitur, ac roboratur: hic est cibus longe optimus, ac solidissimus ad nutriendum interiorem hominem, atque sanctificandum exquisitissimus: neque enim delectus legalis ciborum ad hoc quidquam profuit illis, qui ei maxime anxie fuerunt addicti, & qui cibis sacris plurimum sunt usi, Sacerdotes scilicet, & Levitæ. a)

10. Abeant illi cum carnibus hostiarum: est nobis altare, ac cibus victimæ eucharisticæ, hostiæque piacularis ad alendos, expiandos, sanctificandos nos efficacissimus, in quo tamen nullæ sunt partes illis, qui sacerdotii

10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

a) Nullam occasionem prætermittit PAULUS, ut declaret novis ex Iudaismo christianis gratiæ evangelicæ, quæ per Spiritum S. datur, virtutem & præstantiam, præ ritibus Mosaicis, ad robur spirituale, sanctitatemque homini præstandam: ut sic ad usum gratiarum faciendum, animum accendat, fiduciam a ritibus Mosaicis inutilibus, ad legem evangelicam efficacia gratiæ hominem instruentem revocet.

dotii miniſterio in tabernaculo Moſaico funguntur.

11. Cuius rei typum ac figuram quidem vetus Teſtamentum habuit: ubi ſcimus corpora eorum animalium, quorum ſanguinem Pontifex ſemel in die ſolemni expiationis in Sancta ſanctorum pro peccato intulit, extra caſtra fuiſſe cremata.

12. Hoc quidem totum in figura fuit factum, ad illud nobis exhibendum, quod in Chriſto fuit expletum, dum extra portas urbis paſſus eſt, & ſe cœleſti Patri ſuo victimam in cruce obtulit, ad ſanctificandum per ſanguinem ſuum populum.

13. Deſeramus ergo ſynagogam, & inutiles legis ceremonias, relinquamus gentem Iudaicam obduratam, & in perverſitate ſua brevi excidendam: exeamus ad Chriſti Eccleſiam extra urbem Hieroſolymitanam in toto orbe diffuſam, neque nos pigeat ferre, ſicut ipſe opprobrium crucis, quod eſt Iudæis ſcandalum: quidquid eius nomine ſufferendum nobis eſt, nihil tergiverſemur.

14. Ne-

11. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.

12. Propter quod & Iesus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.

13. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes:

14.

14. Neque enim in castris, ac tentoriis præsentis vitæ stabile habemus domicilium, sed unica spes, ac intentio nostra ad inquirendam cœlestem futuræ vitæ civitatem spectat, quo properantes libenter Mosaica castra relinquimus, & spretis terrenis rebus omnibus Christum sequimur extra castra crucem portantem.

14. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

15. Per Christum ergo, & qui eius personam in altari repræsentant, ac sustinent, incessanter offeramus hostiam incruentam laudis, ac gratiarum actionis, Eucharistiam, loco cruentarum veteris Testamenti victimarum, confitentes in divinis laudibus, ac hymnis nos illi omnia debere, atque in acceptis referre, indeque precibus, ac obsecrationibus comparemus, quas nobis gratias, & merita per crucem, & passionem suam promeruit, purgans nos a peccatis, sanctitate exornans, Spiritum S. donans, ac vitam æternam promittens.

15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper DEO, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.

16. A benefaciendo proximis vestris, atque erga eos misericordiæ opera exercendo,

16. Beneficentiæ autem, & communionis no-

do, communionem illis bonorum, ac officiorum quorumvis faciendo ne unquam desistatis, obliti indigentiæ eorum, quæ sunt hostiæ, non sicut veteres prioris Testamenti, quæ neque gratos, & acceptos DEO reddere valuerunt, nec nos DEO reconciliare, aut nobis sanctitatem conferre: sed hæ novi Testamenti hostiæ placent DEO, ei nos placitos reddunt, nobisque conciliant divina beneficia, ipsamque DEI in cœlis fruitionem. Misericordiam vult DEUS, non sacrificium, quam sicut nobis per sacrificium Christi præstat, ita a nobis præstari vult proximis. a)

nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur DEUS.

17. Obedite præpositis vestris, & lubenti animo eis subiecti estote: quia ipsi multa cura, & sollicitudine nostri

17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis:

a) Hactenus D. PAULUS exposuit, quasnam DEO hostias offerre debeamus loco animalium veteris Testamenti sacrificiorum, quæ nihil utilitatis contulerunt ad iustitiam, & sanctitatem: ad tria autem omnia revocat hostiarum genera: imprimis sacrificium crucis, & eius in Missa commemorationem: sacrificium precum, laudis DEI, ac orationis: tum sacrificium operum misericordiæ, & operum charitatis: hæ sunt placitæ DEO, & gratæ hostiæ, quibus nihil non impetrare possumus a DEO, quorumve iugem usum facere semper possumus, ut salutares eorum fructus nobis conciliemus ad nos sanctos, & felices reddendos.

ſtri cauſa vigilant, & aguntur, cum debeant rationem DEO reddere, ſi quid in ſalute animarum noſtrarum neglexerint, neque nos monitis, & præceptis in lege DEI promoverint: quorum proin dictis obedientiam promtam exhibere debetis, ut cum gaudio, & ſine animi amaritudiue vobis mandata dare poſſint, nec ſub onere regiminis ob veſtram inobedientiam fatiſcant, ac gemant.

eis: ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

18. Orate pro nobis, noſtramque operam DEO commendate privatis, & publicis precibus: neque enim quidquam mihi timeo, ſed bona utor conſcientia in omnibus, quæ aut facio, aut prædico, quæ cuncta eſſe ſecundum præſcriptum veritatis evangelicæ confido, ut qui nihil, niſi quod rectum ſit, in omni converſatione mea ſpectem.

18. Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conſcientiam habemus in omnibus benevolentes converſari.

19. Idcirco autem inſtantius iſtud pro me orandi officium a vobis precor, & rogo, quo celerius vobis liberatus iam e vinculis reſtituar, atque ad vos redux eſſe poſſim.

19. Amplius autem deprecor vos hoc facere quo celerius reſtituar vobis.

20. DEUS autem, qui nobiscum pacis fœdus fecit, & nos in gratiam recepit, qui resuscitavit de mortuis Pastorem magnum illum ovilis per totum orbem dispersi, Dominum nostrum IESUM Christum, in cuius morte, & effuso sanguine firmatum est novum Testamentum, cuique vis, & robur æternum affuturum est,

20. DEUS autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine Testamenti æterni Dominum nostrum IESUM Christum,

21. Is reddat vos aptos, & idoneos ad omne opus bonum perficiendum, ut in omnibus compleatis eius sanctam voluntatem. Idem efficiat per operationem, & virtutem gratiæ suæ in vobis, quidquid gratum, & placitum est in exercitio virtutum christianarum, meritis Christi IESU vobis applicatis: cui tanquam DEO vero debetur gloria, & adoratio in sæcula sæculorum. Amen. a)

21. Aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per IESUM Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

22. Rogo autem vos fratres, ut æquis animis excipiatis, quidquid ad vos consolan-

22. Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum

a) Hic breviter Apostolus totam divinæ gratiæ œconomiam exhibet: hinc discimus: DEUM omnia in nobis operari per gratiam, ita ut nos inepti initium, & progressum actionis bonæ, & ad salutem proficuæ DEO debeamus, ob Christi merita DEO gratiæ munera tribuente.

ſolandos, hortandosque nunc ſcripſi: pauca enim ſunt, & multo plura dicenda forent, ut integrum ex Evangelii promiſſis ſolatium perciperetis.

bum ſolatii. Etenim per paucis ſcripſi vobis.

23. Notum vobis facio fratrem noſtrum TIMOTHEUM iam ſolutum vinculis, atque e carcere dimiſſum: cum quo (ſi celerius ad me redierit) vos reviſam.

23. Cognoſcite fratrem noſtrum TIMOTHEUM dimiſſum: cum quo (ſi celerius venerit) videbo eos.

24. Salutate meo nomine omnes præpoſitos veſtros, Epiſcopos, & Presbyteros, omnesque Chriſtianos fideles. Salutem per me vobis precantur Itali quicunque Chriſto nomen dederunt.

24. Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes Sanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25. DEUS gratia ſua omnes vos augeat, muniatque, ut per eam ei digne ſerviatis, & perſeverantes in fide, & charitate reportetis cœleſtem felicitatem. Amen.

25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

FINIS.

